



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet


Monachii, 1699

Tractatus VII. De Justitia & Jure, cæterisque Virtutibus Cardinalibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

quid de Regularibus Mendicantibus?

53. Cæterum loquendo de Regularibus Mendicantibus, & Communicantibus in eorum privilegijs, qui quoad sæculares poenitentes habent potestatem solum delegatam dispensandi, vel commutandi Vota (exceptis quinque Votis Sedi Apostolicæ specialiter reservatis) variant Doctores, an dicti Religiosi similiter habeant potestatem dispensandi, vel commutandi Juramenta. Si quidem Azorius *part. 1. lib. 11. cap. 10. q. 2.* cum quibusdam alijs, sententiam negativam tenet. Nihilominus partem affirmativam, videlicet Religiosos Mendicantes posse dispensare, vel commutare etiam Juramenta, tenent plures alij Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 2. n. 18.* Sannig *dist. 6. de Juram. q. 3. n. 8.* Lessius *lib. 2. de just. & jure, cap. 42. n. 59.* & alij: nam militat æquè pro illis superius allata ratio. Accedit extensio Gregorij XII. juxta quam possunt Regulares Mendicantes commutare Vota etiam jurata, dummodò commutatio non fiat in præjudicium tertij, prout habetur in Compendio Privilegiorum, §. *Votum*, in Capucini annotatione.



TRACTATUS VII. DE JUSTITIA ET JURE, CÆ- TERISQUE VIRTUTIBUS CAR- DINALIBUS.

Ratio ordi-
nis, ac præ-
stantia hu-
jus Tracta-
tus.

Post explicatas Virtutes Theologicas, atque Religionem, utpote inter Virtutes Morales præstantissimam, ipsa materiarum connexio subministrat Tractatum de Virtutibus Cardinalibus, ac præsertim de Justitia & Jure, utpote de qua occurrunt Difficultates specialiores, atque ob earum præstantiam scitu admodum necessariæ: aded, ut materia de Justitia & Jure, ob sui excellentiam, simul & necessitatem, non solum in Theologia Morali, verum & Speculativa, fuffus atque ex professo tractari consueverit. Nec immerito: si quidem & Spiritus sanctus, tanta Virtutis necessitatem generi huma-

humano inculcaturus, per os Sapientis in ipso exordio Libri Sapientiae exclamat, dicens: *Diligite Justitiam, qui judicatis terram.* De qua proinde, unicâ Distinctione de cæteris Virtutibus Cardinalibus præmissâ, præsens Tractatus instituitur.

DISTINCTIO I.

De Virtutibus Cardinalibus.

QUÆSTIO I.

De Prudentia, ejusque partibus.

2. **C**onveniunt Doctores, quatuor esse Virtutes Cardinales, videlicet Prudentiam, Justitiam, Temperantiam, & Fortitudinem; de quibus legitur Sapient. c. 8. *Sobrietatem enim & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Ubi per sobrietatem Temperantia, & per virtutem Fortitudo designatur. Idcirco autem hæc quatuor dicuntur *Virtutes Cardinales*, quia sunt tanquam aliarum virtutum fontes & cardines: nam quemadmodum ostium in cardine, sic omnis honestæ vitæ ratio in illis versatur, atque universa boni operis structura eisdem innititur.

Etenim sic dicitur:

3. Inter has autem primum locum sibi vendicat Prudentia: quæ licet secundum essentiam suam sit Virtus intellectualis, ad huc tamen inter Morales merito connumeratur, eò quòd actionum nostrarum moralium sit directiva. Qua de causa pluribus passim ea encomijs cohonestatur: Prudentia etenim, sive discretio, à S. P. N. Francisco (teste S. Bonaventura *cap. 5. Legenda*) rectè vocatur *Auriga virtutum*: ipsa siquidem est lux agendorum, ars rectè vivendi, voluntatis oculus, cæterarum virtutum dux, fons, & norma, sine qua nulla potest consistere. Nam, ut inquit S. Bernardus *Serm. 40. super Cantica, Tolle discretionem (Prudentiam) & virtus vitium erit.* Unde & in Jure Canonico *c. Presentium. 1. quaest. 5. & c. Custos, de Offic. Custod.* legitur, quòd Prudentia, sive *Discretio mater est omnium virtutum.*

Prudentia encomia.

4. **CONCL. I.** Prudentia est recta agendorum ratio: sive Prudentia, est virtus, quæ secundum honesti rationem quid agendum, quid fugiendum sit, homini proponit. Ita in re communis:

Bbb

nam,

nam, ut inquit S. Basiliius Hom. 12. ad Populum, *Prudentia est recta eorum, quae agenda vel non agenda sunt, cognitio.*

An sit unicus habitus?

5. Quia tamen diversa sunt specie agibilia moralia, per Prudentiam in particulari dijudicanda; hinc ipsa non est unicus habitus specie indistinctus, sed tot dantur habitus partiales Prudentiae specie distincti, quot sunt virtutes specie diversae in voluntate, respicientes diversa agibilia moralia, quae à Prudentia in particulari dijudicanda & dirigenda sunt. Quamvis omnes illi habitus partiales constituent unum totalem habitum Prudentiae in viro prudente: unum, inquam, non specie, sed genere; prout cum Doctore Subtili 3. dist. 36. quest. un. §. de alia, notant Scotistae communiter contra nonnullos alios.

Partes subjectivae, potentiales, & integrales Prudentiae, Iustitiae &c. quid?

6. Pro intelligentia sequentium est praemittendum, quòd partes Prudentiae (idem est de Justitia, Temperantia, & Fortitudine dicendum) aliae dicantur subjectivae, aliae potentiales, aliae integrales. *Partes subjectivae* sunt species, seu inferiora, in quas ejusmodi virtus subdividitur. Nomine *Partium potentialium* intelliguntur virtutes, Prudentiae v.g. affines, ad quam proinde ratione magis suae cognationis reducuntur, eique annecti solent. *Partes integrales* tandem vocantur, quae ad perfectum actum Prudentiae concurrere debent: unde haec non ex eo dicuntur integrantes, quasi virtutem ipsam integrent & componant, quemadmodum manus, pes & caput integrant corpus hominis; sed quòd ad perfectum actum virtutis omnes concurrant, ut dictum.

Partes subjectivae Prudentiae sunt quinque; nimirum

Monastica.

7. CONCL. II. Partes subjectivae, seu species sub Prudentia tanquam sub genere contentae, sunt quinque, videlicet Monastica, Oeconomica, Politica, Legislativa, & Militaris. Ita D. Thomas 2. 2. q. 47. & alij. Ratio est: quia *Prudentia* generatim alia est *Monastica* (quam & *Personalem* appellant) estque ea, qua quisque sibi & propriae suae directioni prospicit; & alia *Gubernativa*, quae aliorum prospicit directioni. Atqui *Gubernativa* ulterius aptè subdividitur in quatuor enumeratas posteriores species; quilibet enim earum prospicit directioni aliorum, sed diversimodè; ergo in omnibus erunt quinque.

Oeconomica.

8. Caterùm *Prudentia oeconomica* est, quae totius familiae honestam institutionem tuetur, & gubernat, ejus bonum duntaxat attendens. *Prudentia Politica, seu civilis* est, qua quis rectè novit administrare Rempublicam, legumque observantiam procurare: haec enim spectat bonum commune Civitatis, seu Reipublicae, sicut *oconomica familiae*, *Prudentia legislativa* est, qua quis novit

Politica, seu Civilis. Legislativa, &

novit idoneas leges condere: & hæc vel maximè necessaria est. Legislatoribus. Tandem *Prudentia militaris* est, qua rectè administratur militia: & hæc requiritur in milicibus, & amplius in bellis Ducibus, ut miliciâ rectè administratâ bonum commune strenuè defendatur. Militaris.

9. CONCL. III. Partes potentiales Prudentiæ tres communiter assignantur cum D. Thoma *loc. cit. quest. 51.* videlicet Eubulia, Synesis, & Gnome. *Eubulia* (latinè, bona consultatio) est habitus rectè inclinans ad consultandum, seu ad excogitanda media apta pro consecutione finis. *Synesis* (quod latinè est, sensatè discernere) est habitus disponens ad ferendum rectum judicium de particularibus operabilibus consultatis, idque juxta regulas communes. *Gnome* est habitus rectè judicandi ex principijs quibusdam altioribus præter ordinarias leges, sive contra tenorem verborum legis: prout fit per *Epichejam*, quæ est benigna legis interpretatio secundum æquum & iustum, quâq; nunquam determinantur, seu practicanda judicantur aliqua contra verba legis, etsi non contra mentem legis; eò quòd ejusmodi casum ob speciales circumstantias non censeatur legislator comprehendere voluisse sub lege generaliter lata. (a) Notat tamen Herincx *diff. 1. de Prudentia, q. r. num. 15.* quòd *Synesis* & *Gnome* reverà sint ipsamet Prudentia, eamque integrent, uti diversi habitus circa diversas conclusiones integrant unam scientiam totalem. Partes potentiales Prudentiæ tres. Eubulia, Synesis, & Gnome. Epicheja, quid? (a) Ut dicitur in Tract. 2. Diff. 4. n. 9. & seq.

10. CONCL. IV. Partes integrantes, sive integrales Prudentiæ, à S. Thoma *loc. cit. quest. 48.* & alijs, octo numerantur. I. *Memento prætorum*: nam hæc magnam opem affert ad rectè formandas deliberationes de fine, ac medijs ad finem assumendis; quia ex ea nascitur experientia, optima rerum magistra. II. *Intellectio*; id est, cognitio primorum principiorum practicozum: III. *Dolitas*; qua quis faciliatur ad promptè acquiescendum monitis prudentium, quibus rectè instruitur. IV. *Solertia*; qua operans disponitur ad facilem, & subitam mediocum excogitationem. V. *Ratio*; qua quis promptus efficitur ad inferendum unum ex alio simili; atque applicandum principia generalia ad particulares conclusiones. VI. *Circumspectio*; per hanc quippe habilitatur homo ad rectè expendendas omnes circumstantias actionis moralis. VII. *Prudentia*; qua rectè expenduntur futura agibilia moralia, veluti jam connexa cum presentibus. VIII. *Cautio*; qua instruitur operans, qualiter declinare debeat. Partes integrales Prudentiæ sunt octo, quæ?

impedimenta occurrentia, & ne sub specie boni voluntas applicetur malis. Sciendum tamen, quod prædictæ octo non eodem modo censeantur partes integrantes Prudentiæ: nam quinque priores eatenus dicuntur tales, in quantum præquiruntur ut conditiones præviæ ad actum, seu executionem Prudentiæ; sed tres posteriores, quatenus sunt aliqui actus Prudentiæ, ut notat Sannig *dist. 2. de Prud. quest. 1. n. 12.*

Q U Æ S T I O II.

De Vitijs Prudentiæ oppositis.

Prudentiæ
quæ vitia
opponan-
tur?

11. **C**ONCL. I. Licet omne peccatum opponatur Prudentiæ, eò quod sit contra rectum ejus dictamen; magis tamen directè, ac generatim loquendo, opponitur Prudentiæ hinc per defectum Imprudentia, illinc per excessum, seu quasi excessum, Prudentia falsa sive fucata. Ita communis; & ratio est: quia Prudentia consistit in medio, non minus, ac aliæ Virtutes morales; ergo potest contra eam peccari non solum per defectum, sed etiam per excessum, seu quasi excessum. Unde inquit Apostolus Rom. 12. *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

Per defe-
ctum con-
tra Pruden-
tiam pecca-
tur
Præcipita-
tione,
Inconside-
ratione,

12. **C**ONCL. II. Per defectum, sive Imprudentiam, peccatur contra virtutem Prudentiæ quadrupliciter, videlicet Præcipitatione, Inconsideratione, Inconstantiâ, & Negligentiâ. Et quidem Præcipitatione peccatur contra Prudentiam, dum quis proposito aliquo sine statim opus aggreditur, non præmissâ sufficienti deliberatione de totius negotij qualitate, de medijs illud exequendi, deque cavendis impedimentis. *Inconsideratione* peccatur contra ipsam, dum temerè judicatur, & concluditur de ipso opere exequendo, non præmissâ diligenti rerum ac circumstantiarum inspectione. *Inconstantiâ* verò contra Prudentiam peccat ille, qui rebus jam semel deliberatis, ac rectè judicatis, sine ulla, vel certè sine sufficienti causa mutat judicium suum. Et tandem contra eandem Prudentiam peccatur *Negligentiâ*, quæ est omissio diligentis requisitæ in actu intellectus ad excitandam & dirigendam voluntatem, ac vires externas, ut exequantur illud opus, quod faciendum esse judicatum est.

Inconstan-
tiâ, &

Negligen-
tiâ.

13. **C**ONCL.

13. CONCL. III. Per excessum, aut quasi excessum, seu potius quâdam falsâ seu fucatâ specie Prudentiæ, peccatur contra eam sex modis, videlicet Prudentiâ carnis, Astutiâ, Fraude, Sollicitudine temporalium, & Sollicitudine futurorum. Ita communis.

Per excessum contra eam peccatur sex modis.

14. Prudentia carnis ea dicitur, qua quis novit excogitare idonea media ad opera carnis complenda: qualia sunt fornicatio, immunditia, gula, ira, & cætera hujusmodi, quæ recenset Apostolus Galat. 5. Et hæc Prudentia carnis, qua quis vivit secundum carnem, id est, secundum inclinatus, commoditates ac motus naturæ corruptæ, opponitur Prudentiæ spiritûs, quæ novit excogitare idonea media ad opera spiritûs seu virtutum perficienda. De qua utrâque legitur Rom. cap. 8. Prudentia carnis, mors est; Prudentia autem spiritus, vita & pax: quoniam sapientia carnis, inimica est Deo.

Prudentia carnis, quæ?

15. Astutia sumitur hic in malam partem, nempe pro notitia pravorum mediorum ad fallendum proximum idoneorum, cum affectu id opere exequendi. Et hæc continet artem simulandi, & dissimulandi; estque species quâdam Prudentiæ carnis: illi etenim maximè videntur esse potentes secundum carnem, qui modos nòrunt occultos fallendi proximum, & sic obtinendi bona temporalia. Porrò Astutiæ vitium alio nomine dicitur Cordis duplicitas; de qua Ecclesiastici 2. dicitur: Va duplici corde, & labijs sceleratis, & manibus malè facientibus, & peccatori terram ingrediendi duabus vijs.

Astutia, quid?

16. Dolus est actus externus, seu executio ipsius Astutiæ; & habet præcipuè locum in materia justitiæ, puta in contractibus humanis. Et communiter definitur, quòd sit machinatio ad circumveniendum, decipiendum, seu fallendum proximum adhibita.

Dolus, &

17. Fraus fermè idem est, quòd Dolus: differt tamen ex eo à Dolo, quòd Fraus fiat per facta; ut cum mensura est minor justo, vel cum moneta est adulterina, & hujusmodi. Unde Fraus est quid minùs commune, quàm Dolus.

Fraus, quid?

18. Sollicitudo temporalium est nimia mentis occupatio in conquirendis, & conservandis rebus temporalibus, proveniens ex inordinato habendi amore, & amittendi timore. Unde tria in hoc vitio includuntur, nempe nimius affectus ad bona temporalia, timor & anxietas in ijs conquirendis vel conservandis, simulque nimia occupatio mentis in illis cogitandis & tractandis. Et hanc inordinatam temporalium Sollicitudinem, veluti valde

Sollicitudo temporalium, quæ?

perniciosa animæ, passim reprehendit Scriptura Sacra, & vel maximè Christus Dominus *Matth. 6.* dicens: *Ne solliciti sitis anima vestra, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini, & alibi.*

Non prohibetur moderata sollicitudo temporalium.

19. Cæterùm prædictis verbis prohibetur solum inordinata temporalium sollicitudo; id est, ea, quæ est conjuncta cum nimio affectu temporalium, nimiâque mentis occupatione, & anxietate in ijs corradendis, & conservandis. Siquidem moderata sollicitudo & provisio temporalium, quæ fit absque nimio ad eadem affectu, cordisque anxietate, non solum non est prohibita, sed etiam commendatur, *Proverb. 6.* ibi: *Vade ad formicam, ô piger.* Et *Proverb. 10.* *Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem aestate fertit, filius confusionis.* Huc facit illa generalis maledictio, toti humano generi data *Gen. 3.* *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.*

Sollicitudo futurorum, quæ?

20. Tandem *Sollicitudo futurorum* est species quædam sollicitudinis temporalium; & consistit in nimia animi occupatione circa futura, maximè ut vitæ necessaria habeantur, quæ est conjuncta cum cordis anxietate, & parvâ fiduciâ Divinæ Providentiæ: ut cum quis plus justo sollicitus est de victu, vestitu, aliisque rebus necessarijs in futurum annum, mensem, vel diem.

QUÆSTIO III.

De Justitia, & varijs ipsam concernentibus.

De his re-
missivè.

21. **M**ateria præsentis Quæstionis commodius examinabitur inferius. *Distinctione sequenti, Quæst. I. & II.*

QUÆSTIO IV.

De Temperantia, & annexis Virtutibus.

Temperantia, quid?

22. **C**ONCL. I. *Temperantia* est virtus refrænans inordinatos appetitus & concupiscentias corporis, præsertim circa gustum & tactum. Ita communis. Dicitur notanter, *præsertim circa gustum & tactum*: quia *Temperantia* propriè dicta proximè versatur in moderandis voluptatibus gustûs & tactûs, quæ solent oriri ex esculentis, poculentis, & venereis. Unde nemo propriè judicatur intemperans, qui immodicè delectatur in contemplatione rerum naturalium, in honoribus, in picturis

ris, aut cantibus cæteroquin honestis, vel in odoriferis, & hujusmodi; sed talis proprie dicitur curiosus, ambitiosus, vel alio ejusmodi nomine notatur. Verum hoc intelligendum de Temperantia proprie dicta: nam si ea sumatur generaliter & largè, sic Temperantia est virtus, quæ refrænât affectum hominis ab ijs, quæ ipsum quomodocunque contra præscriptum rationis alligant.

Sumitur etiam largè.

23. CONCL. II. Temperantiæ proprie acceptæ tres potissimum sunt partes subjectivæ, seu species, videlicet Abstinencia, Sobrietas, & Castitas; quamvis nonnulli addant Pudicitiam. Abstinencia est virtus, quæ secundum rectam rationem moderatur appetitum, usumque ciborum oblectantium. Huic peculiariter adversatur Gula, quæ est inordinatus appetitus, vel usus ciborum, voluptatis causâ: sed de hac jam alibi. (b) Sobrietas est virtus, quæ secundum rectam rationem moderatur inordinatum appetitum, usumque potionis, vim inebriandi habentis. Huic adversatur Ebrietas, quæ est excessus in potu inebriante voluptatis causâ factus, donec usus rationis sopiatur: de qua pariter jam dictum. (c)

Ejus partes subjectivæ sunt tres.

Abstinencia.

(b) Tract. 3. Dist. 3. quaest. 6.

Sobrietas, &

(c) Cit. quaest. 6. n.

45. & seq. Castitas.

24. Castitas tandem est virtus, quæ moderatur inordinatum appetitum, usumque venerorum: & hæc triplex est, nempe Virginalis, Vidualis, & Conjugalis; de qua, sicut & de oppositis vitijs, ex professo alibi. (d) Pudicitia est moderantia circa oscula illicita, tactusque impudicos, & similes lascivias, aspectusque venereos: & dicitur Pudicitia, quatenus pudori, qui in usu illorum intervenire solet, conformis existit. Quia tamen censetur una eademque virtus circa prævia, & circa principale; hinc Pudicitia commodè reducitur ad Castitatem. Idem dicendum de Continentia, quæ est virtus refrænans motus concupiscentiæ carnalis contra rectam rationem insurgentes: quinimò hæc in re est ipsa Castitas.

(d) Tract. 9. Dist. 4. quaest. 1.

& seq.

Pudicitia, & Continentia reducuntur ad Castitatem.

25. CONCL. III. Ad Temperantiam plures aliæ reducuntur virtutes, quæ & partes potentiales ipsius appellantur ratione magnæ suæ affinitatis, quam cum Temperantia habent; videlicet Mansuetudo, Clementia, Studiositas, Humilitas, Modestia, Eutrapelia.

Partes potentiales Temperantiæ, quæ?

26. Mansuetudo est virtus temperans irrationabiles passiones iræ, juxta mensuram rectæ rationis. Et dicitur, juxta mensuram rectæ rationis: nam contra eam potest peccari tum secundum modum per peccatum iracundiæ; tum secundum defectum per

Mansuetudo.

per iræ vacuitatem, scilicet non increpando, castigando & vindicando malum, ubi & sicut oportet.

Clementia, 27. *Clementia* magnam cum Mansuetudine gerit affinitatem; nec aliud est, quàm lenitas superioris adversùs inferiorem in constituendis pœnis. Huic per excessum adversatur *Crudelitas*: per defectum verò *nimia*, seu indiscreta *lenitas*.

Studiositas, 28. *Studiositas* est virtus, inordinatam sciendi cupiditatem temperans: nam omnis homo naturaliter scire desiderat. Eidem secundum excessum opponitur *Curiositas*, quæ est superflua cognoscendi, aut discendi cura; quàmque prohibitam legimus Ecclesiastici cap. 3. *Altiora te ne quaesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; & in pluribus operibus ejus (Dei) ne fueris curiosus.* Secundum defectum adversatur eidem *Negligentia*; quæ est voluntaria ommissio eorum addiscendorum, quorum cognitio ad cuiusque statum vel officium spectat.

Humilitas, 29. *Humilitas* est virtus temperans inordinatum appetitum & tendendi ad excelsa. Sive, ut eam S. Bernardus Tract. De 12. gradibus (e) Tract. humilitatis definit: *Humilitas est virtus, qua homo verissimâ sui agnitio-*

3. Dist. 3. *ne sibi ipsi vilescit.* Huic secundum excessum contrariatur *Superbia*, de qua jam alibi: (e) & secundum defectum *nimia Abjectio sui*.

Modestia, 30. *Modestia* est virtus moderans exteriores corporis actiones juxta præscriptum rectæ rationis: estque alia *Modestia*, quæ servatur in verbis; alia, quæ in factis; & alia, quæ in exteriori cultu, sive in decenti apparatu vestium, conviviorum, atque suppellectilis, juxta proprii cuiusque itatûs mensuram observatur. *Modestix* secundum excessum opponitur *Petulantia*, & insolentia: secundum defectum verò *morum Ruditas*.

Eutrapelia, 31. Tandem *Eutrapelia* est virtus, in recreationibus honestis, quid? atque ad animi & corporis refocillationem susceptis, rectum rationis moderamen servans: nam excessus in eisdem, sicut & nimius defectus, in vitio sunt.

Temperantia partes integrantes sunt Verecundia, & Honestas. 32. CONCL. IV. Partes integrantes Temperantiæ sunt *Verecundia*, & *Honestas*. *Verecundia* quandoque accipitur pro passione, sicque importat dolorem, vel timorem, consurgentem ex consideratione alicujus facti inferentis dedecus: sed accepta pro habitu vel actu virtuoso. *Verecundia* est virtus, à turpibus & inhonestis cupiditatibus retrahens. *Honestas* vicissim est virtus, inclinans ad decorem in abstinencia inhonestarum voluptatum resplendentem.

QUÆ.

QUAESTIO V.

De Fortitudine, ejusque partibus & oppositis Vitijs.

33. **P**ostquam de Temperantia, quae turpia refugit, & abstinet ab illicitis voluptatibus, dictum est; restat agendum de Fortitudine, quae honesta aggreditur, & animi dolorem fortiter sustinet: eò praesertim, quod & ipsa occupetur in moderandis passionibus animi, ne mentem ab honesto avocent, atque illis praesertim, quae pertinent ad fugam corporalem malorum. Potest equidem Fortitudo in largiori sensu accipi pro firmitate animi in bono honesto, qualis in cujuslibet virtutis actione reperitur: verum in hac acceptatione ea non est virtus à cæteris distincta, sed potius conditio ad omnem virtutem requisita. Propriè igitur loquendo de Fortitudine, sit

Ratio ordinis.

Fortitudo largè.

Fortitudo propriè, quid?

Vir fortis, quis?

Fortitudinis partes potentiales, quae?

Magnanimitas, Confidentia, quis?

34. CONCL. I. *Fortitudo est virtus, quae voluntatem inclinatur ad labores perferendos, & iusta pericula aggredienda.* Ita in re communis. Siquidem hæc virtus mediocritatem tenet inter Timiditatem & Audaciam, juxta illud Aristotelis 3. *Eth. c. 6.* dicentis: quod ea sit *Mediocritas circa metum & audaciam.* Nam Fortitudo virtus consistit in perpeffione iustorum laborum, quos fugit Timiditas; & in aggressionem iustorum periculorum, ubi Audacia in quælibet pericula proruit, sive iusta sint & honesta, sive non. Unde *Vir fortis est*, qui honestatis causâ nunc quidem cum fiducia pericula aggreditur & tolerat, quando, ubi, & sicuti ratio dicitur; nunc verò ingruentia mala timeret, aut sustinet, quæ & quando timere, aut tolerare oportet. Et de talibus legitur Hebræ. 11. *Fortes facti sunt in bello.*

35. CONCL. II. Partes Fortitudinis potentiales (nam subiectivas non habet, quia hæc virtus versatur circa materiam valde specialem, quæ plures virtutum species constituere nequit) sunt praesertim Magnanimitas, Confidentia sive Securitas, Patientia, & Perseverantia: quæ quia sunt multum affines ipsi Fortitudini, rectè partes potentiales ipsius dicuntur.

36. *Magnanimitas est virtus, ad opera magna & heroica in omni virtutum genere inclinans. Confidentia (quam alij Securitatem appellant) est quietatio voluntatis orta ex fiducia, qua*

Patientia, &
Perseveran-
tia, quid?

quis rationabiliter confidit, se malum imminens superaturum. *Patientia est virtus*, quæ in adversis rebus animi moerorem temperat, ac mala præsentia æquanimiter tolerat. Et tandem *Perseverantia* est virtus, consistens in eo, quod quis in bene cœptis pergat, eaque usque ad finem continuet; juxta quod *Matth. cap. 10.* Salvator ait: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Fortitudini
opponitur

37. CONCL. III. Fortitudini, quæ hinc timorem, illinc nimiam fiduciam sive audaciam moderatur, per excessum & defectum utriusque opponuntur varia vitia. Inprimis enim per excessum timoris, opponitur ipsi *Timiditas*; qua fit, ut mala imminencia nimium formidentur, & non aggrediantur, etiam dum restitatio dicat aggressionem eorum. Per defectum verò timoris opponitur eidem *Stupiditas animi*, qua quis ob animi stupiditatem nulla mala seu pericula formidat, etiam quando eadem formidare, & cavere, secundum rectam rationem deberet.

Timiditas.

Stupiditas
animi.

38. Deinde per excessum fiduciæ, opponitur Fortitudini *Audacia*, seu temeritas in aggrediendis periculis, quando, quomodo, vel ubi non oportet. Per defectum verò fiduciæ, opponitur Fortitudini aliud vitium, & dicitur *Ignavia animi*, nihil audentis, ubi, quando, & quomodo aggredi, vel sustinere oportet.

Audacia, &

Ignavia a-
nimi.

38. Deinde per excessum fiduciæ, opponitur Fortitudini *Audacia*, seu temeritas in aggrediendis periculis, quando, quomodo, vel ubi non oportet. Per defectum verò fiduciæ, opponitur Fortitudini aliud vitium, & dicitur *Ignavia animi*, nihil audentis, ubi, quando, & quomodo aggredi, vel sustinere oportet.

QUÆSTIO VI.

Quæ requirantur ad Martyrium?

Martyrium
excellenti-
simus actus
Fortitudi-
nis.

39. **F**ortitudinis virtus vel maximè elucescit occurrentibus malis seu periculis repentinis, iisque maximis, utputa quæ mortem inferunt. Unde colligunt Doctores, Martyrium esse excellentissimum Fortitudinis actum; nam Martyres propter testimonium Christi, servandumque bonum veritatis fidei, ipsam vitam profundere non perhorrescunt. *Martyr* enim græcè, latinè *Testis* est: unde *Martyres Christi* dicuntur quasi Testes ipsius, sive veritatis, quæ per Christum nobis innotescit. Agendo igitur de Martyrio, sic

Martyrium,
quid?

40. CONCL. I. *Martyrium* est tolerantia voluntaria mortis ex odio veræ Fidei, vel alterius virtutis Christianæ inflictæ.

Pa-

Patebit hoc amplius ex declaratione conditionum ad Martyrium requisitarum: unde fit

41. CONCL. II. Ad verum Martyrium, tanquam excellentissimum actum virtutis Fortitudinis, requiritur in adultis ex parte intellectus vera Fides; ac deinde ex parte voluntatis pia voluntas tolerandi mortem pro Fide Christi, vel pro defensione alterius Virtutis supernaturalis. Ita communis.

42. Dicitur I. *Requiritur in adultis.* Nam in parvulis, qui nullum actum proprium elicere possunt, datur Martyrium absque actu propriae voluntatis, quando occiduntur odio fidei: ut patet in SS. Innocentibus, qui ab Herode Rege propter Christum occisi, ritè ab Ecclesia coluntur tanquam Martyres. Ratio est: quia licet nullum possint elicere actum, quo acceptent Martyrium propter Fidem, adhuc tamen re ipsa propter fidem perdunt animam suam; ergo eam rursus in caelis inveniunt, juxta illam generalem promissionem Christi, Matth. 10. *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam.* Quinimò ex speciali privilegio Christi, occisio propter causam fidei est parvulis instar Baptismi: unde salvantur, etiamsi in utero materno occidantur propter Christum, utpote proprio sanguine baptizati.

43. Dicitur II. *Requiritur ad Martyrium ex parte intellectus vera Fides:* quia, ut dicitur Hebræ. cap. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Unde Hæretici, si occidantur propter sectam suam hæreticam, quam profitentur, Martyres non sunt: nam, ut Augustinus in Psalm. 24. ait, *Martyrem non poena, sed causa facit: pena enim communis est latroni & Martyri, hæretico & Catholico; sed causa dispar.*

44. Dicitur III. *Deinde ex parte voluntatis pia voluntas tolerandi mortem pro Fide Christi.* Siquidem ad Martyrium in adultis omnino requiritur, ut mors voluntariè acceptetur propter fidem veritatem tuendam: nam sicut ad Baptismum fluminis, ita & ad Martyrium, seu Baptismum sanguinis, requiritur consensus, sive prævia acceptatio illius.

45. Hinc si quis adultus in odium fidei Christianæ dormiens occidatur, cum antea de morte propter fidem inferenda nihil omnino cogitasset, sicque eam nullatenus acceptaverit, non est propriè censendus Martyr; prout notat Lessius Lib. 3. de just. & jure, cap. 1. n. 24. & Layman lib. 3. sect. 3. n. 4. citans Suarezium. Secus foret, si quis ob fidem in vincula conjectus, staturisset.

tuisset secum, mori potius, quam Fidem negare: nam si talis postea in odium Fidei dormiens interficiatur, verus Martyr erit; cum in simili etiam ille Baptismi Sacramentum suscipiat in somnis, qui illud antea desideraverat.

Milites pugnantes contra Infideles, an sint Martyres?

46. Quæres, an milites, qui in bello pro defensione veræ Fidei contra Infideles suscepto pugnantes occiduntur, sint Martyres? Resp. I. Certum est, si ejusmodi milites intentionem suam non referant ad causam Fidei, vel aliud motivum supernaturalæ, sed ad alium finem, ut puram honorem, pecuniam, vel bonum duntaxat humanum Reipublicæ, eos occumbendo in tali bello neutiquam effici Martyres: cum non moriantur propter Christum, aut in testimonium alicujus Virtutis supernaturalis à Deo revelatæ, sed ob finem merè humanum.

Quid, si pugnent intentione defendendi Fidem?

47. Resp. II. Suppositâ piâ intentione defendendi veram Fidem contra hostes ejusdem, ipsoque statu gratiæ, milites in tali bello pugnantes exercent actum valdè meritorium; si tamen pugnando occiduntur, propriè Martyres non sunt. Ratio posterioris partis est: quia milites actu pugnantes, non voluntate, sed potius necessitate mortem sustinent; quinimò hanc hostibus inferrent, nisi ab ipsis vincerentur. Insuper ipsi non præferunt mansuetudinem Christi, cujus Passio est exemplar veri Martyris; quique, *cum pateretur, non comminabatur.* 1. Petri 2. Leslius *loc. cit. n. 36.* Layman, & alij. Accedit praxis, ac sensus Ecclesiæ, quæ decedentes in actuali pugna nunquam consuevit colere pro Martyribus.

Exercent actum valdè meritorium.

48. Prior autem pars ex eo patet: quia milites illi, ceteroquin in statu gratiæ constituti, & ex tali optima intentione pugnantes, publicum Deo, veræque Fidei testimonium perhibent, hujusque augmentum atque propagationem totis viribus promovere satagunt, atque pro ejusdem defensione mortem saltem indirectè acceptant, dum periculo ipsius manifesto sese exponere non perhorrescunt. Huc faciunt verba illa Gregorij Papæ IV. exhortatoria ad milites pro Christianorum defensione pugnantes, & consolatoria morientium in hac piissima intentione, quæ referuntur *c. Omni timore. 23. q. 8.* ibi: *Omni timore, ac terrore deposito contra inimicos sanctæ Fidei, & adversarios omnium Religionum agere viriliter studete. Novit enim Omnipotens, si quilibet vestrum morietur, quod pro veritate Fidei, & salvatione patriæ, ac defensione Christianorum mortuus est: & ideò ab eo premium caeleste consequetur.* Id ipsum S. Joannes à Capistrano, suis Crucè-signatis con-

Sententiæ notabiles circa hoc.

contra Turcas, infensissimos Christiani Nominis hostes, prope Belgradum fortiter pugnaturis, affectuosè proponebat, illis (f) *Vide* (apud Waddingum ad Ann. 1456.) verbis: *O quam felices, qui in dicenda in hac pugna Christi moriuntur; quia statim ab Angelis cum sanctis Martyribus, qui pro Fide mortui sunt, coronabuntur.* (f)

49. Dicitur IV. *Vel pro defensione alicujus vera Virtutis supernaturalis*: nam non solum, qui propter Confessionem Fidei, sed etiam, qui pro defensione aliarum Virtutum supernaturalium moriuntur, Martyrij palmam consequuntur. Generaliter enim loquendo omnia Virtutum opera, quatenus referuntur in Deum, sunt quædam Fidei protestationes: quia dum quis potius vult mori, quam Deum peccato quopiam offendere, ipso facto protestatur, Deum esse Summum Bonum, ac omnibus alijs bonis creatis præferendum; quod est articulus Fidei Christianæ.

50. Infertur proinde, quòd omnium Virtutum supernaturalium opera possint esse causa Martyrij. Sic enim S. Joannes Baptistæ est Martyr, quia in odium Virtutis ac Veritatis, quam liberè ac impavidè prædicabat, fuit occisus. Similiter multæ Sanctæ Virgines sunt Martyres, eò quòd fuerint mortuæ pro defensione Virginitatis. Sic enim S. Thomas Episcopus Cantuariensis est Martyr, quia pro Catholica Ecclesia, ejusque Immunitate defendenda mortuus est: idem dicendum de plurimis alijs.

51. Et notandum, quòd si quis ob prædictas causas occidatur, verè sit Martyr, licet Tyrannus alios falsos prætextus fingat. Nam & Judæi sub prætextu violatæ Legis Moysaicæ, & quòd se Regem fecisset, Christum Dominum veluti malefactorem occiderunt, qui tamen Martyr fuit; imò Dux, & Princeps Martyrum. Similiter in primitiva Ecclesia non rarò occidebantur Martyres, verè quidem in odium Fidei, sed sub prætextu perversionis Reipublicæ: quibus similia postmodum plurimis alijs SS. Martyribus falsò imposita fuerunt.

52. CONCL. III. Ad Martyrium insuper requiritur, quòd mors inferatur; ita ut vel mors re ipsa sequatur (& hoc est perfectissimum, & completum genus Martyrij) vel saltem posita fuerit causa sufficiens, ex qua naturaliter ipsa mors consequeretur, nisi divinitus impediatur. Ita communis, & sequitur Herinx *disp. 8. de Baptismo, quest. 1.* Sic enim S. Joannes Evangelista ab Ecclesia celebratur inter Martyres, eò quòd missus fuerit in ferventis olei dolium: & eadem ratione tres Pueri in fornacem

Morientes pro defensione cuiuslibet Virtutis supernaturalis, sunt verè Martyres.

Exempla hujus.

Quid si Tyrannus alios prætextus fingat?

Ad Martyrium requiritur, ut mors inferatur; quomodo?

Babyloniam missi, Martyres censentur, quia pro cultu unius veri Deilethalem cruciatum (etsi postea divinitus impeditum) fornacis ardentis subire non exhorruerunt.

Missi in carcerem, vel exilium, propter Fidem, an, & quando sint Martyres?

§ 3. Infertur proinde I. Quòd propriè & perfectè Martyres non sint, qui in vincula coniecti, vel in exilium acti, aut omnibus bonis suis spoliati, multa pro Fide Christi patiuntur, nisi fortè secundum quod ex his mors sequitur; prout notat D. Thomas 2. 2. q. 125. art. 2. Nam talia de se non sunt illativa mortis: quin imò consueverunt homines omnia hujusmodi subire, & gravissimos etiam corporis dolores sustinere, ut vitam conseruent. Quòd si verò ex præmissis ipsa mors sequatur, Martyrium perficitur: ut patet exemplo SS. Martyrum & Pontificum Marcelli, Joannis, Silverij, Martini, & Pontiani, quos in carcerem, vel exilium missos, atque ibi ærumnis confectos, Ecclesia pro Martyribus veneratur.

Martyres desiderio, an sint propriè Martyres?

§ 4. Infertur II. Quòd Martyres solo desiderio non sint propriè Martyres: non obstante, quòd amorosissimo eiusmodi desiderio maximum in cælis cumulum meritorum consequantur; ac, etiamsi affectus Martyrij ad effectum non deducatur, nihilominus ipsa sola eorum voluntas Deo iudice coronetur, c. Numquid Cain. de poenit. dist. 1. Quia videlicet re ipsa non sustinent mortem propter confessionem veræ Fidei, neque causam proximam illius.

Pulchræ sententiæ circa Martyrium sine sanguine.

§ 5. Nec obstat id, quod de S. Martino, Turonensi Episcopo, canit Ecclesia: *O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrij non amisit.* Quò faciunt plures aliæ SS. Patrum sententiæ: ut illa S. Hieronymi, in Epitaphio Paulæ, circa finem: *Non solum effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devota quoque mentis servitus immaculata, quotidianum est Martyrium.* Accedit D. Augustinus Serm. 250. de Tempore, ibi: *Christianis quotidiana Martyria deesse non possunt. Sicut enim castitas, & veritas, & justitia, Christus est: sic & ille, qui eis insidiatur, persecutor est. Qui & in alijs defendere, & in se custodire voluerit, Martyr erit.* Item S. Bernardus in Sentent. brevior. *Parcitas in ubertate, largitas in paupertate, castitas in juventute, Martyrium est sine sanguine.* Et concordant plures similes SS. Patrum sententiæ. Respondetur enim, hujusmodi auctoritates loqui de Martyrio, non propriè, sed per quandam similitudinem; ut explicat D. Thomas 2. 2. quest. 125. art. 4. ad 1. Unde idem D. Augustinus lib. De sancta Virginitate, præfert Martyrium perpetuæ Virginitati. Martyrium

Quæ explicantur.

rium enim inter omnes actus virtuosos maximè demonstrat perfectionem Charitatis, juxta illud Salvatoris, Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

56. Inferitur III. Quòd morientes in causa pia, v. g. vitam profluentes ob amorem Dei in servicio pestiferorum, propriè non sint Martyres, eò quòd mors eisdem non inferatur odio Fidei Christianæ, vel alicujus Virtutis supernaturalis. Martyrium enim est testimonium externum, quod Christo, vel ejus doctrinæ præbetur per hoc, quòd quis mortem pro ea voluntariè subeat; quod non fit, nisi adsit, qui mortem inferat, ut Christum vel ejus doctrinam nobis auferat. In quo sensu loquitur ille vulgatus, Martyrum patientiam commendans versiculus: *Actio displicuit, Passio grata fuit*: per actionem denotans crudelitatem Tyrannorum mortem inferentium, per passionem verò patientiam SS. Martyrum.

Morientes in pia causa, v. g. service estio ferorum, an sint Martyres?

57. Fatendum tamen, quòd olim eos, qui, cùm pestis sevissima grassaretur Alexandria, morbo laborantibus ministrantes libentissimè mortem oppetere, velut Martyres religiosa Fidelium fides venerari consuevit, ut legitur in Martyrologio Romano, ad diem 28. Februarij. Quod quidem factum fuit propter excellentiam operis adeò heroici, atque eximie Charitatis. Christo in suis membris (Fidelibus nimirum) exhibitæ. Quamvis simul notanter ibidem addatur *ly, velut Martyres*; ad insinuandum, quòd propriè loquendo, & in toto rigore, tales non sint Martyres.

Sensus Fidei-
lium anti-
quitus circa
hoc.

58. CONCL. IV. Ut Martyrium cuiquam proficit ad salutem, requiritur insuper status gratiæ, vel saltem legitima dispositio ad gratiam, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 13. *Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quibus verbis excluduntur illi, qui nec Charitatem habent, nec ad eam sunt dispositi: ut sunt Schismatici, Hæretici, aut alij peccatis mortiferis affectu inhærentes; prout inter alios observat Herincx *disp. 8. de Baptismo, quæst. 3. n. 24.*

Ad Martyrium requiritur vel status gratiæ, vel dispositio ad eam.

59. Porro dispositio debita ad Martyrium in peccatoribus, non solum est contritio perfecta sed etiam attritio, ut innuit D. Thomas *part. 3. quæst. 78. art. 1.* dicens: *Passio pro Christo suscepta obtinet vim Baptismi*: ad hujus enim fructum consequendum sufficit in peccatoribus attritio. Concordat Scotus *4. dist. 14. quæst. 1. §. ex his*, ac sequuntur Lessius, Maltrius, Herincx, & alij.

Ejusmodi debita dispositio, quæ?

Injuriam
facit Mar-
tyri, qui o-
rat pro Mar-
tyre.

60. Atque de hujusmodi Martyribus verificatur illud D. Augustini, *Serm. 17. de Verbis Apostoli*, & refertur cap. *Cum Marchæ*. Tertio loco, de Celebrat. Missar. *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*. Quod intellige, dummodo de ejusmodi Martyrio propter Christum percipio legitime constet.

DISTINCTIO II.

De Virtute Justitiæ, ac Jure generatim,

QUÆSTIO I.

Quid sit Justitia, & quæ Virtutes eidem annexæ?

Justitiæ va-
riæ accepti-
ones.

1. Justitiæ nomen variè sumitur: & imprimis Justitia communissimè, ac secundùm rationem suam generalissimam aliud non est, quàm *restitudo voluntatis propter se servata*, ut post D. Anselmum, *de Veritate c. 12.* loquitur Scotus 4. dist. 46. q. 1. Et hoc modo Justitia in se continet Virtutes omnes, atque in S. Scriptura non rarè sic accipitur; ut Matthæi 5. *Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam*, & alibi. Deinde sumitur Justitia pro ipsamet rectitudine actûs: in quo sensu bona opera exercentes, dicuntur operari Justitiam, juxta illud ad Hebræ. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam*. Sed de Justitia taliter accepta hic non est sermo.

Juris ac-
ceptio magis
propria.

2. Ulteriùs igitur, & magis ad propositum, Justitia sumitur pro habitu, seu virtute inclinante voluntatem ad reddendum alteri debitum suum, qualecunque illud sit: juxta quod loquitur Apostolus ad Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui veltigal, veltigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*. Unde Justitia sic accepta, comprehendit sub se omnes eas virtutes, quæ respiciunt alterum in ordine ad reddendum ipsi quoddam debitum; cujusmodi Virtutes recensentur *num. 6. & seqq.* Ultimò tandem Justitia sumitur strictè & propriè; quomodo respicit debitum legale, ac jus propriè dictum, reddendum alteri. Et in hacultima acceptione loquendo de Justitia, sic

3. CONCL.

3. CONCL. I. *Justitia* strictè & propriè sumpta benè defini-
nitur cum Ulpiano l. *Justitia*. ff. de *Justitia & jure*, taliter: *Justitia* proprie sumpta,
est constans, & perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuens. Quae de-
finitio communiter est recepta, & sensum facit: *Justitia* est vir-
tus, inclinans, & firmans voluntatem ad perpetuò tribuendum
jus suum unicuique. Dicitur, constans & perpetua voluntas: quae par-
ticula stat loco generis. Commune est enim omni virtuti, quòd
sit constans & perpetua voluntas; id est, firmus habitus volunta-
tis, inclinans ipsam non ad unam duntaxat diem, vel annum, sed
quantùm est ex natura talis habitus, perpetuò circa proprium ob-
jectum rectè operandi.

4. Et additur, *jus suum unicuique tribuens*; sive, ut alij legunt, *Reddit alteri*
jus suum cuique tribuendi: quae particula stat loco differentiae, per
quam *Justitia* differt à cæteris Virtutibus tanquam per proprium
objectum, quod est jus suum cuique tribuere. Dum autem dicitur,
jus suum, id intelligendum est de jure propriè dicto, seu debi-
to legali; non autem de jure largè sumpto, ac debito morali
tantum. Et per hoc differt *Justitia* propriè dicta, & hic definita,
ab Observantia, Pietate, & alijs hujusmodi Virtutibus, quae licèt
alterum respiciant, non tamen reddunt ipsi debitum aliquod le-
gale, seu jus propriè dictum, sed morale solùm; ac proinde non
sunt *Justitia* propriè dicta.

5. Porrò *Debitum legale* (quod est debitum strictè, & propriè
dictum) illud est, ad quod reddendum, & quidem quoad æquali-
tatem, quis lege astringitur. Et additur, *quoad æqualitatem*: quia
dum redditur, seu solvitur debitum legale, servatur *Justitia* pro-
priè dicta, ad quam inter alia requiritur æqualitas dati & accep-
ti; ita scilicet, ut si debeam centum, reddam centum, vel quid
æquivalens: & si non posset fieri talis æqualitas, hoc ipso jam
non posset esse lex de debito illo totaliter reddendo, utpote cui
nunquam posset satisfieri, sicque non interveniret debitum le-
gale. *Debitum morale* e contra dicitur illud, ad quod alteri reddend-
um obligatur quis solùm moraliter, ac ex honestate virtutis:
id est, quod vel est altioris ordinis, & ita magnum, ut non possit
ei reddi ad æqualitatem, ac proinde solùm obligat ad satisfaci-
endum ipsi pro viribus, seu quantùm est moraliter possibile; vel
ita parvum, ut non inducat obligationem legalem & strictam,
sed moralem duntaxat, quae ex quadam honestate virtutis procedit;
prout fit in Virtutibus *Justitiae* annexis, de quibus fit

D d d

6. CONCL.

Virtutes lu-
stia anne-
xæ, quæ?

6. CONCL. II. Virtutes Justitiæ annexæ, ac veluti partes ejus potentiales, dicuntur omnes illæ, in quibus intervenit quidem aliquod debitum ad alterum, illud tamen non est legale, sed duntaxat morale: eò quòd sit (uti proximè explicatum) adeò magnum, ut non possit illi satisfieri ad æqualitatem; aut ita parvum, ut non inducat veram obligationem legalem & strictam, sed duntaxat ex quadam honestate virtutis procedentem. Prioris generis sunt Religio, Pietas, Observantia, & Obedientia, quæ est pars Observantiæ. Posterioris generis est Gracitudo, Veritas, Amicitia, Affabilitas, & si quæ sunt aliæ hujusmodi Virtutes, in quibus est solum debitum morale ad alterum. Ita communis post D. Thomam 2. 2. *quest. 80.* Nam sola illa virtus, quæ respicit debitum legale, ac jus propriè dictum alteri reddendum, censetur Justitia propriè dicta; cæteræ verò, quæ respiciunt quidem debitum alteri reddendum, sed duntaxat morale, hoc ipso deviant à ratione perfectæ Justitiæ: tamen, quia respiciunt aliquod debitum, erga proximum, censentur Virtutes Justitiæ annexæ, ac veluti partes illius potentiales, uti sunt enumeratæ. Et quidem de *Religione* jam dictum est suo loco. (a)

(a) Tract.
5. Dist. 1.
per votum.
Pietas variè
accipitur.

7. *Pietas* quandoque sumitur pro studio internæ devotio- nis, & sinceri affectus erga Deum & proximum: in quo sensu 1. Timoth. 4. dicitur: *Exerce te ipsum ad pietatem.* Et infra: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futura,* & alibi. Quandoque *Pietas* accipitur pro *Misericordia*, seu benigno affectu erga alios, præsertim filios nostrâ ope indigentes: quæ ratione *Pietas* passim in S. Scriptura Deo attribuitur, ut Ecclesiastici 2. *Quoniam pius, & misericors est Deus,* & alibi. In proposito tamen *Pietas* sumitur pro speciali virtute, qua debitum cultum exhibemus parentibus, tanquam vitæ & educationis nostræ post Deum authoribus.

Observan-
tia, quid?

8. *Observantia* est virtus, qua debitus cultus deferitur Superioribus, tanquam gubernationis nostræ authoribus. Sicut enim pietas colit parentes, eò quòd sint nobis post Deum auctores vitæ, atque educationis nostræ; ita *Observantia* deferit cultum Superioribus, quia sunt authores nostræ gubernationis. Ad hanc reducitur *Obedientia*, quæ, quatenus est specialis virtus, ideò aliquid facit, quia præceptum est. Et prædictæ tres virtutes, nempe *Religio*, *Pietas*, & *Observantia* respiciunt debitum adeò magnum ad alterum, ut non possit eidem satisfieri ad æqualitatem: unde versiculi illi.

Dignas

Dignas Caluibus, Genitoribus, atque Magistris,
Pro merito grates reddere nemo potest.

9. Sed occasione dictorum, Quæres incidentaliter, an inter patrem & filium, dominum & servum (id est, mancipium) possit intercedere Iustitia propriè dicta? Resp. negativè, loquendo de istis spectatis quoad jura & debita, quæ sunt inter eos quæ tales. Ita Aristoteles 5. Ethic. cap. 6. Scotus cit. dist. 46. q. 1. & alij. Ratio est: quia ad Iustitiam propriè dictam requiritur iurium alteritas, id est, iurium Distinctio: atqui hæc non habetur inter patrem & filium, inter dominum & servum quæ tales; cum filius, & servus, non sint sui juris respectu patris, ac domini; ergo. Adicitur tamen, loquendo de ipsis spectatis quoad jura & debita, quæ sunt inter eos quæ tales. Quod enim filius ut filius debet patri, debet ei lege Pietatis, non Iustitiæ. Si verò ipsi spectentur, ut sunt distincti homines, atque in multis rebus sui juris, ac diversa jura habentes, sic inter eos potest esse Iustitia & injuria: ut si filius sit emancipatus, vel habeat bona castrensia, aut quasi castrensia, & hæc ipsi à patre contra fas auferantur: item si dominus servum occidat, vel muret; nam in vita, membrisque conservandis, servus non subest domino, sed est sui juris.

Iustitia propriè dicta, an detur inter patrem & filium, dominum & servum?

10. Quantum attinet ad Virtutes posterioris generis, itidem Iustitiæ annexas, Gratitude est virtus, qua ijs, qui de nobis benè meriti sunt, non solum gratias agimus, sed etiam cum possumus, referimus. Ejus officia sunt quinque, videlicet beneficij accepti æstimatio, ejus benigna acceptatio, gratiarum actio, grata commemoratio, & tandem repensio.

Gratitudo, quid?

Ejus officia quinque.

11. Veritas, sive Veracitas est virtus, qua nos proximis tales dictis & factis exhibemus, quales re ipsâ sumus. Huic opponitur Mendacium; estque locutio contra mentem, cum scilicet aliud loquimur exterius, aliud interius sentimus. Et dividitur communiter ratione finis, & effectus in jocosum, officiosum, & perniciosum. Mendacium jocosum est, quod fit causâ voluptatis absque alterius nocumento. Officiosum, quod fit causâ utilitatis, simulque nemini nocet: & horum utrumque est peccatum ex genere veniale. Perniciosum est, quo alicui injustè nocetur, sive alteri profit, sive non. Et hoc ex genere suo est peccatum mortale, atque gravissimè passim in S. Scriptura perstringitur; quamvis per accidens, atque ob levitatem materiæ, seu nocumenti illati, possit esse veniale.

Veritas, quid?

Mendacium triplex, jocosum, officiosum, & perniciosum.

Amicitia, &
Affabilitas,
quid?

Et quomo-
do differ-
rant?

Adulario, &
Morositas,
quid?

12. *Amicitia* est virtus, qua aliqui mutuam apertamque inter se benevolentiam gerunt, seque invicem bonis affici volunt honestatis gratia, & non solum jucunditatis. *Affabilitas* est virtus, quæ procurat, ut conversatio nostra in communi hominum consuetudine sit grata, & talis, qualem esse decet spectatâ conditione nostrâ & eorum, quibuscum agimus, aliisque circumstantijs. Differt ab *Amicitia*, quod hæc inter notos duntaxat; *Affabilitas* verò inter quosvis, etiam ignotos, locum habeat: item, quod *Affabilitas* in sermone, & vitæ consuetudine versetur; *Amicitia* potissimum in affectu. Contra *Affabilitatem* delinquitur tum per excessum, seu nimio placendi studio, dum quis in omnibus se accommodat alijs, omnia probat, omnia laudat: & hoc, si fiat propriæ utilitatis causâ, erit *Adulatio*; si solum, ut quis placeat, is *Blandus* appellatur. Tum per defectum, eique *Morositas*, qua quis proximo in congressibus nonnullam molestiam ac tædium affert, dum parùm curat sese accommodare, sed asper est, & pronus ad contradicendum.

QUÆSTIO II.

De divisione Justitiæ in Commutativam, & Distributivam.

Justitia di-
viditur in
Commuta-
tivam, &
Distributi-
vam.

Justitia
Commuta-
tiva, quæ?

13. **C**elebris est hæc divisio Justitiæ in commutativam & distributivam, ab Aristotele *s. Ethic. cap. 2.* assignata, & communiter recepta. Earum utraque est Justitia propriè dicta, observans debitum legale, & reddens alteri, quod suum est, ad æqualitatem, sed cum discrimine: nam una servat æqualitatem Arithmeticam, altera tantum Geometricam, prout amplius declarabitur.

14. **CONCL. I.** *Justitia commutativa* dicitur illa, quæ versatur in commutationibus rerum, pactis, & contractibus faciendis. Echætunc observatur, quando fit commutatio rerum secundum æqualitatem dati & accepti: id est, considerando solum valorem rerum sine ullo respectu ad personas; ut videlicet tanti valeat, moraliter saltem, res reddenda, quanti valet accepta, qualescunquetandem sint personæ, siue nobiles, siue ignobiles. Sic fit, quando quis debet alteri centum, & ipsi reddit centum, vel aliquid illis centum æquivalens. Idem accidit in rerum ven-

venditionibus, si tanti res vendatur, quanti moraliter saltem, & juxta communem hominum aestimationem, hic & nunc valet.

15. Et additur, *moraliter saltem*. Nam dicta aequalitas non ^{Qualem} ^{servet a-} ^{qualitatem?} semper debet esse omnino exacta & metaphysica, sed sufficit moralis, quae habetur juxta prudentem hominum aestimationem, prout inter alios notat Mairius 3. Sentent. disp. 3. num. 150. Patet hoc manifestè in rerum emptionibus & venditionibus, in quibus exacta & metaphysica illa aequalitas attingi semper non potest, sed solum moralis: sic enim equus, aut quodcunque aliud animal vivens, aestimato pretio jure venditur & emitur, non obstante quòd aurum totius Mundi non aequivaleat entitati unius equi, cum omne vivens simpliciter nobilius sit non vivente; quia in tali venditione & emptione saltem intervenit aequalitas moralis, taxanda juxta prudentem aestimationem hominum, atque exigentiam & utilitatem humani convictus, propter quem haec utiliora, ac proinde magis cara, illa verò minus utilia, sicque minus cara esse censentur.

16. CONCL. II. *Justitia distributiva* e contra illa est, quae commoda & onera communia, utputa officia, beneficia, communes ^{Justitia di-} ^{tributiva,} ^{quae?} exactiones, tributa &c. distribuit inter partes Communitatis cum proportione Geometrica ad singulorum merita, vel statum conditionem. Ita in re communis. Talis Justitia distributiva debet observari, quando honores vel praemia distribuuntur juxta cujuslibet meritum, & proportionem status, dando scilicet majora magis de Republica meritis, aut in majore dignitate constitutis; & minora alijs juxta cujusque meritum, statumque conditionem. Idem fit in impositione communium onerum: nam plura (caeteris paribus) debet contribuere ad communes Reipublicae necessitates, qui majora habet bona seu praedia; minus verò, qui minora bona seu praedia possidet.

17. CONCL. III. *Justitia commutativa & distributiva* varie differunt, praecipue verò in hoc, quòd Justitia distributiva servet proportionem sive aequalitatem Geometricam, commutativa Arithmeticam. Ita Scotus 4. dist. 46. q. 1. dicens, ^{Hae servat} ^{proportio-} ^{nem Geo-} ^{metricam,} ^{illa Arith-} ^{meticam.} quòd in distributiva requiratur aequalitas proportionis, non quantitatis; in commutativa secundum aliquos aequalitas quantitatis, non tamen proportionis: Mairius disp. 3. Theolog. Mor. num. 1. & alij. Ratio est: quia finis intrinsecus Justitiae commutativae est, constituere aequalitatem inter datum & acceptum, v. g. centum reddendo pro centum: Justitiae verò distributivae finis intrinsecus est, con-

stituere æqualitatem inter proportionem & proportionem, ut nimirum talis sit proportio inter res & onera, quæ distribuuntur, qualis est proportio inter condiciones personarum, quibus fit distributio.

Proportio
Arithmeti-
ca, & Geo-
metrica,
quæ?

18. Porò per *æqualitatem*, seu *proportionem Arithmeticam*, intelligitur vera æqualitas rei ad rem, utputà centum ad centum, aut alterius iusti pretij ad rem emptam, sine ullo habito respectu ad personas. Per *proportionem Geometricam* verò intelligitur ea, qua singulis tribuitur id, quod debent habere, cum inæqualitate tamen, juxta scilicet inæqualitatem ipsarum personarum, & cum proportione ad statum atque conditionem singulorum. Unde sequitur & alia differentia: nam in Justitia distributiva, atque proportione Geometrica, habetur respectus ad personas, earumque qualitates; prout patet in exemplis *num. 16.* adductis: secùs fit in Justitia commutativa, & proportione Arithmetica, ubi sine ullo personarum respectu res ipsæ (id est, data & recepta) inter se comparantur.

Utraque
Justitia di-
viditur in
præmiati-
vam, & pu-
nitivam.

19. CONCL. IV. Utraque hæc Justitia, scilicet tam commutativa, quàm distributiva, dividitur ulterius in præmiativam, quæ pro meritis reddit præmia; & in punitivam, seu vindictivam, quæ pro delictis reddit supplicia. Ita Doctores communiter, & probatur inductione. Quia inprimis Justitia distributiva tunc est præmiativa, quando honores, officia, & hujusmodi, in præmium præstitorum beneficiorum distribuit, inæqualiter tamen juxta inæqualitatem ac proportionem statûs & conditionis singulorum, dando scilicet plus personis in majore dignitate constitutis, & minus in minore dignitate constitutis; prout communiter fieri solet. Tunc verò Justitia distributiva est punitiva, quando nocentes, ut par est, supplicijs afficit, habitâ tamen ratione dignitatis, seu statûs personarum: sic adulterium v. g. in privatis personis alicubi pro prima vice punitur, statuendo ipsas cum publico despectu ante fores Ecclesiæ; in personis autem dignioribus multâ pecuniariâ. Et simile quid in multis alijs peccatis infligendis observari solet. Deinde, quòd dicta divisio conveniat Justitiæ commutativæ patet ex eo: quia hæc tunc censetur esse præmiativa, quando distribuuntur æqualiter præmia juxta æqualitatem meritorum, nullâ habitâ ratione conditionis, dignitatis & statûs personarum, quibus fit illa distributio. Est etiam punitiva quando æqualia pro delictis supplicia inferuntur: sic enim commutando, pro meritis redduntur præmia æqualia, pro

statûs

399

pro

pro delictis verò supplicia. Maffrius in 3. disp. 7. n. 177. post Scorum
4. disp. 46. q. un. §. hic primò, & alios.

20. Quæres, quodnam sit objectum Justitiæ propriè dictæ? Justitiæ ob-
jectum, Resp. cum communi, objectum ejus esse jus propriè dictum, seu
jus alteri obtrictum. Ratio est: quia illud est objectum forma-
le virtutis, ad quod virtus principaliter ordinatur: atqui Justitia
propriè dicta principaliter ordinatur ad hoc jus constituendum,
alterique reddendum, ut patet ex ejus definitione (b) ergo. Re- (b) n. 5.
stat proinde de hoc Jure agendum. *datâ.*

QUÆSTIO III.

Quid, & quotuplex sit Jus, Ubi & de Actione
reali, & personali.

21. **A**dvertendum, quòd Jus varias habeat acceptiones. Juris varia
Quandoque enim Jus accipitur pro facultate aliquid ^{acceptiones.}
agendi legitime, & inculpate: quomodo dici solet, ali-
quem uti jure suo, dum id agit, quod licitè agere potest. Inter-
dum pro sententia Judicis, ut *cap. ult. de Constit. in 6.* ibi: *Extra ter-
ritorium jus dicenti impune non paretur.* Aliquando pro ipsa Juris, seu
Legum scientia: quo modo Studiosi, qui jus Civile aut Canoni-
cum audiunt, dicuntur Juri operam dare. Sumitur præterea no-
men juris, ut idem est ac Lex: quo pacto illud dividi solet in Jus
naturale & positivum, in Jus Divinum & humanum, & hoc rur- (c) *Ut di-
ctâ Tract.*
sum in Jus Canonicum & Civile. (c) Tandem, & quantum ad
propositum, jus accipitur, prout est objectum Justitiæ; de quo
loquendo, sic *2. Dist. 1. n.
3. & seqq.*

22. CONCL. I. Jus est facultas seu potestas legitima, quam
quis habet ad aliquam rem obtinendam, vel retinendam, aut ad
aliquid faciendum, ita ut ab illius rei obtentione, seu retentione,
vel ab illa actione facienda licitè impediri non possit. Ita Maffrius
disp. 3. Theol. Mor. num. 2. Sive, ut alij brevius loquuntur, Jus est fa-
cultas utendi re pro libitu citra injuriam alterius. <sup>Jus, ut est
objectum
Justitiæ,
quid?</sup>

23. CONCL. II. Jus taliter acceptum præcipuè dividitur in ^{Dividitur}
Jus ad rem, & Jus in re. Ita communis; & habetur *cap. ult. de Con- in*
ess. Præbend. in 6. ibi: *In quibus Beneficijs jus non esset quesitum in re,* Jus ad rem,
licet ad rem. Porro Jus ad rem dicitur, quo ipsa res nondum est af- &
fecta

fecta seu obligata, sed habetur tantum Jus in ordine ad acquirendam possessionem & dominium illius rei, antequam hæc actu possideatur. Sive, ut alij loquuntur, *Jus ad rem* (quod etiam *Jus personale* vocatur) illud est, quod non tribuit actionem in rem ipsam, sed tantum in personam, se ab illius rei consecutione impediendam. Et tale Jus est, quod alicui competit per donationem, emptionem, aliosque hujusmodi contractus erga rem sibi donatam, venditam &c. antequam illius rei traditio sibi fiat: si enim res illa alteri vendatur, ac re ipsa tradatur, manebit ipsi, nec poteris tu eam vindicare, aut in iudicio repetere, quia res illa nondum erat tua facta ante actualem traditionem, sed tantum habes actionem personalem in eum, qui te fraudavit. Tale etiam Jus ad rem est illud, quod quis consequitur per electionem, postulationem, aut præsentationem ad Beneficium Ecclesiasticum; item per institutionem in hæredem ante aditionem hæreditatis, & hujusmodi.

Jus in re,
quid?

24. *Jus in re* e contra dicitur illud, quod rem ipsam sibi devinctam & obligatam habet: sive, quod habetur in re aliqua, cujus possessio & dominium actu jam cuiuspiam est comparatum. Aut magis juridicè loquendo, *Jus in re* dicitur illud, quod tribuit actionem in rem ipsam, seu actionem realem, quæ dicitur *Rei vindicatio*, sive (ut alij loquuntur) *Rei vindicatio*, de qua mox plura. Et tale Jus in re est illud, quod habetur per emptionem, & alios contractus, secuta rei traditione; item quod acquiritur in Beneficio Ecclesiastico per actualem ejus collationem, sive investituram, ac hujusmodi.

Jus in re, &
Jus ad rem,
quomodo
differant?

25. Est autem notabile discrimen inter Jus in re, & Jus ad rem. Siquidem Jus in re ita facit rem propriam illius, qui habet tale Jus respectu ipsius rei, ut in quocunque loco hæc sit, & ad quoscunque manus deveniat, is habeat facultatem, ubicunque eam repererit, recipiendi, & à quocunque repetendi, & quisquis eam receperit, ex iustitia teneatur ipsam restituere. Sic v. g. si equus Petri fuit furto ablatum poterit eum Petrus repetere, ubicunque invenerit, non obstante, quod alius equum bona fide emerit: quia talis equus est Petro obstrictus, & ipse respectu hujus equi habet Jus in re; omnis autem res transit cum suo onere, quo est affecta. Cæterum Jus ad rem non tribuit hujusmodi facultatem in rem ipsam, sed titulum duntaxat iustum, & Jus aliquod inchoatum ad acquirendum illius rei dominium. Ex quo fit, quod si quis impediatur à consecutione talis rei, respectu

specu cuius sibi competit Jus ad rem, non possit rem ipsam vindicare, atque in iudicio repetere, sed duntaxat actionem personalem instituere adversus eum, qui ipsum injulte impedit, vel impedit ab illius rei consecutione. Hoc ut melius intelligatur,

26. Quæres, quid sit Actio generatim, simulque Actio realis, & personalis? Resp. I. Actio generatim aliud non est, quam Jus persequendi in iudicio, quod sibi debetur. Ita habetur §. 1. Instit. de Actionibus, estque communis. Dicitur, in iudicio. Quia nemo sibi ipsi Jus dicere potest, neque quod sibi debetur, privata occupare autoritate, cum idcirco constituti sint Magistratus: dummodo excipiatur casus, in quo locus est occultæ compensationi (d) aut quando est periculum in mora, prout à fure in furto deprehenso quilibet repetere potest rem furtivam.

27. Resp. II. Actio ut sic rectè dividitur in Actionem realem, & personalem. Ita communis; & habetur clarè §. Omnium. Instit. de Action. ibi. Omnium autem actionum summa divisio in duo genera diducitur: aut enim in rem sunt, aut in personam. Nam agit unusquisque aut cum eo, qui ei obligatus est, vel ex contractu, vel ex maleficio: quo casu prodita sunt actiones in personam, per quas intendit adversarium ei dare, aut facere oportere, & alijs quibusdam modis. Aut cum eo agit, qui nullo jure ei obligatus est, movet tamen ei de aliqua re controversiam: quo casu prodita actiones in rem sunt; veluti si rem corporalem possideat quis, quam Titius suam esse affirmet, possessor autem dominum ejus se esse dicat; nam si Titius suam esse intendat, in rem actio est. Hæc ibi. Et sciendum, quod actiones in rem, alio nomine in Jure appellantur Vendicationes; & Actiones in personam, dicantur Condiçiones, ut habetur §. Appellamus. Instit. de Actionibus.

28. Resp. III. Actio realis (quæ & Actio in rem appellatur) ea est, quæ adhæret rei, ipsamque insequitur; adeo, ut in cujuscunque possessionem res nobis obligata devenerit, ab eodem reposci, & vindicari possit; & si probaverimus, rem esse nostram, etiam in iudicio necesse habeat possessor eam nobis restituere. Ita habetur cum cir. §. Omnium. Instit. de Action. cum l. Officium. ff. de Rei vindicatione, estque communis. Porro, ut dictum, hujusmodi Actio in rem appellatur etiam Rei vindicatio: nam Vendicare rem, sive (ut Moderui passim loquuntur) Vindicare, idem est, ac rem sibi appropriare, & dicere esse suam, & per hoc intendere, ut sententiâ judiciali res illa declaratur esse sua, ejusque dominium sibi applicetur.

Eee

29. Actio

Personalis,
seu Actio in
personam,
quid?

29. *Actio personalis*, seu *Actio in personam*, est illa, quæ proximè tendit in personam nobis obligatam ex contractu aliquo, vel delicto. Et dicitur *personalis*: quia, quamvis hæc actio sit in ordine ad aliquid recuperandum ab adversario, quod tibi fieri vel dari ab eo petis; nihilominus actio illa ita cohæret personæ, ut ipsa contra alium, qui rem illam fortè detinet, institui non possit. Sic v. g. si mutuo dedisti Cajo centum florenos, quos ille Titio donavit, & tradidit, in hoc casu actio duntaxat personalis contra Cajum, nulla verò contra Titium tibi competit.

DISTINCTIO III.

De Speciebus Juris in re.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Dominium?

Juris in re
species,
quæ?

1. **J**uris in re variz sunt species, quarum aliquæ rem ipsam, alia usum rei respiciunt. Et quidem prioris generis est *Dominium*; quo quis de re sua potest facere quod vult, dando, vendendo, commutando &c. & si impediatur, potest in Judicio experiri, prout *num. 4.* declarabitur. Accedit *Possessio*, quæ (si est justa, simulque pacifica) *Dominio* addit, quòd in tali jure non impediatur. Et tandem *Proprietas*, quæ insuper dicit, quòd quis in tali jure parem non habeat. Posterioris generis, sive Juris in usu rei, duæ sunt species, videlicet *Ususfructus*, & *Usus juris*: de quibus in progressu breviter. Incipiendo igitur à *Dominio*, ejusque divisionibus, sit

Dominium
communif-
simè, quid?

2. **CONCL. I.** *Dominium* communissimè sumptum aliud non est, quàm facultas disponendi de re tanquam sibi subjecta. Sic quippe juxta communem apprehensionem *Dominium* habere censetur, qui aliquid habet, de quo jure proprio, seu citra alterius ordinationem, disponere pro nutu possit; quod idcirco dicitur esse suum. Atque in hac tam generali acceptione, illud cum primis subdividitur in *Dominium Divinum*; quale competit Deo per essentiam in omnes creaturas. & in *Dominium humanum*, quod

Dominium
Divinum, &
humanum.

quod convenit homini per participationem, seu potestatem sibi à Deo collatam in alias creaturas; juxta illud Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cali, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Et de hoc Dominio humano, quod & *Politicum* appellant, agitur in proposito.

3. CONCL. II. Dominium humanum, seu politicum, aliud est Dominium jurisdictionis, & aliud Dominium proprietatis, quorum quodlibet denuò subdividitur. Ita communis, & patet inductione. Et quidem *Dominium jurisdictionis*, est potestas gubernandi suos subditos; id est, illis aliquid præcipiendi, vel prohibendi, ac illos judicandi, puniendi, vel præmiandi: hi quinque enim sunt actus gubernandi. Porro *Dominium jurisdictionis* subdividitur in sæculare; quale est in Imperatoribus, Regibus, Ducibus &c. respectu populorum sibi subditorum in negotiis sæcularibus: & in Ecclesiasticum, quale est in Summo Pontifice, Episcopis, aliisque Prælati Ecclesiasticis, qui habent subditos in spiritualibus. *Dominium proprietatis* econtra est Jus disponendi de re sua pro libitu, nisi lege prohibeatur: de quo potissimum loquendo, sit

4. CONCL. III. Dominium proprietatis aliud est perfectum, aliud imperfectum. Ita rursum communis. *Dominium proprietatis perfectum* (quod & plenum dicitur) communiter solet definiri, dicendo: *Dominium est jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* Dicitur, *jus*: quæ particula stat loco generis. Dicitur, *perfectè disponendi de re*: quæ particula stat loco differentie, simulque denotat, hic definiri Dominium perfectum seu plenum, virtute cuius potest quis perfectè disponere de re sua, eaque uti pro suo arbitratu, ipsam vel servando, vel vendendo, donando, commutando, vel etiam destruendo, *nisi lege prohibeatur.* Et hoc ultimum idcirco additur: quia licet Dominium ex natura sua tale sit, ut tribuat potestatem disponendi de re sua pro libitu, tamen interdum lege prohibente fit, ut hæc potestas non possit exire in actum. Sic pupillus prohibetur alienare rem suam, cum tamen sit verus dominus; similiter quandoque lege prohibente non licet vendere res suas externis Nationibus, eo quod sit prohibita talium mercium extractio è Provincia; quibus similia contingunt passim in aliis casibus.

5. *Dominium proprietatis imperfectum* (cui pariter convenit Imperfectum, dummodò in ea omittatur ly, & tum.

Hoc subdividitur in Dominium directum, &

Dominium utile.

Alia de Dominio remissive.

perfecte) vel habet tantum proprietatem rei absque emolumentis seu fructibus, vel e contra emolumentum absque proprietate; & juxta hoc subdividitur in directum, ac utile. *Dominium directum* continet solam rei proprietatem: unde habens hujusmodi Dominium dici solet *Proprietarius*, id est, habens talis rei proprietatem. Et tale Dominium directum habet Princeps in Feudis, Dominus in prædio ad Emphyteusim dato, & omnis ille, qui dicitur dominus cujuspiam rei, cujus Ususfructus alteri concessus est.

Dominium utile duntaxat, continet solam rei utilitatem, seu emolumentum: & tale est, quod habet Feudatarius, Emphyteuta, Usufructuarius &c. respectu illius rei, quam ab alio accepit in Feudum, Emphyteusin, vel cujus habet Ususfructum.

6. Cæterum de Dominio hætenus explicato, & quibus competat, quibusque modis acquiratur, plures occurrunt difficultates; de quibus in sequentibus Distinctionibus dicitur, postquam in præsentem cæterarum specierum Juris natura fuerit explicata.

QUÆSTIO II.

Quid sit Ususfructus?

Ususfructus, quid?

Jus utendi, & jus fruendi, quomodo differant?

7. **C**ONCL. I. *Ususfructus rectè definitur, dicendo: Ususfructus est jus alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia.* Ita habetur *L. 1. ff. de Usufructu. & §. 1. Instit. eod.* estque communis. Et quidem in hac definitione ly, *Jus*, stat loco generis; reliqua ponuntur loco differentie. Dicitur deinde, *utendi*; & mox additur ly, *fruendi*, id est, percipiendi fructus rei: tum ut indicetur effectus illius juris, quod tribuitur cuipiam per Ususfructum, qui est legitima potestas utendi & fruendi re aliena, salva tamen ejus substantia. Tum quia *Jus utendi*, & *Jus fruendi* re aliena, valde differunt: nam is, qui habet solum Jus utendi re aliqua, gaudet nudo duntaxat usu illius, ita ut quamvis possit re illa uti pro suis necessitatibus, ex ea tamen fructus non percipiat. Sic qui habet Jus utendi equam alterius, potest quidem eam uti ad suas necessitates; fructus tamen ejus, id est, equæ partus non erit suus, sed domini proprietarij equæ. E contra Jus fruendi tribuit cuipiam hujusmodi jus, seu potestatem percipiendi fructus rei alienæ: quale Jus utendi & fruendi simul, importat Ususfructus,

Aut, ut ex ipso nomine patet: ac proinde Ususfructus est pin-
quior Ufu juris.

8. Porro *fructus rei* dicitur, quidquid salvâ rei substantiâ ex
re illa est perceptibile. Sic censetur esse fructus in grege ovium,
aliorumque animalium, lac, lana, foetus; in fundo foenum, sege-
tes, fructus arborum, virgulta, arborisque cæduræ, ita ut succidi
possint (non verò fructiferæ) lapides in lapidinis; in domo
locatio, & his similia: prout habetur *L. 10. & seq. de Usufructu.*

Fructus rei, quid?

9. Dicitur ulterius in definitione Ususfructus, *re alienâ.* Ut
excludatur jus utendi & fruendi, quod quisque habet in re sua,
cujus plenum obtinet Dominium: quia talis non dicitur Ufu-
fructuarius, non obstante, quod utatur re illâ, ejusque fructus
percipiat; sed dicitur Dominus illius rei, quod est quid majus.
Tandem additur, *salvâ rei substantiâ*: quia Ususfructuarius (id est,
ille, qui habet Ususfructum rei alienæ) tenetur rem illam, ex
qua fructus percipit, integram Proprietario servare.

*Ususfructu-
arius, quid?*

10. Quæres, ad quid teneatur Ususfructuarius? Resp. Ufu-
fructuario imprimis incumbit solvere impensas, quæ ratione
fructuum percipiendorum fieri debent. Tenetur insuper Ufu-
fructuarius ad præstandas collectas, tributa, & similes præstatio-
nes reales, quæ pro re fructuaria debentur; prout habetur deci-
sum *l. Hactenus. ff. de Usufructu.* Nam *Qui sentit onus, sentire debet com-
modum, & e contra, juxta Regulam 50. Juris in 6.*

*Ususfructu-
arius ad
quid teneat-
ur?*

11. Tenetur rursus Ususfructuarius rem illam, cujus habet
Ususfructum, rectè colere, eâque quasi bonus paterfamilias uti;
prout liquet ex ipsa definitione Ususfructus, dum dicitur esse jus
utendi & fruendi *salvâ rei substantiâ.* Hinc inferunt Doctores, id-
que desumunt ex *cit. l. Hactenus. ff. eod.* quod, qui habet Ususfru-
ctum fundi, teneatur in locum arborum demortuarum novas sub-
serere, juxta arbitrium boni viri; & qui habet Ususfructum ædi-
um, teneatur saltem modicas expensas facere ad sarta tecta con-
servandâ. Dicitur, *modicas expensas*: nam ad magnas non tene-
tur ipsemet Ususfructuarius, sed Proprietarius rei, nisi forsitan aliter
inter eos conventum fuerit. Omittuntur nonnulla alia, obliga-
tionem Ususfructuarij, ipsûmque Ususfructum concernentia;
cûm sit materia magis Juridica, & plurimum pendeat ex particu-
laribus pactis, & conventionibus cum Domino pro-
prietario initis.

*Tenetur
rectè colere
rem Usufra-
ctuariam.*

*Et in eam-
modis ex-
pensas face-
re.*



Q U Æ S T I O III.

De Ulu juris, & varijs ipsum concernentibus.

Ulus facti, 12.
& Ulu juris.

ADvertendum, quòd Ulu dupliciter sumi possit. I. Pro ipso actu utendi re alterius, sive pro actuali ulu licito rei alienæ; & dici solet *Ulus facti*, seu nudus Ulu rei: qualis est actualis equitatio ex permissione proprij domini facta in equo alieno, vel actualis inhabitatio domus alienæ, & hujusmodi. II. Accipitur Ulu pro ipsomet jure utendi re aliena, v. g. pro jure illo, quod quis ratione prævia solutionis habet equitandi tali equo, vel inhabitandi domum alienam; & vocari solet *Ulus juris*: de quo loquendo, sit

Ulu juris.
quid?

13. CONCL. I. *Ulus juris* rectè solet definiri, dicendo: Ulu est jus utendi tantum re aliena salva ejus substantia. Ita Doctores communiter. Dicitur, *jus utendi*: quia hinc definitur Ulu juris, non autem Ulu facti tantum; de hoc enim, cum nihil juris præbeat utentibus, minus solliciti fuerunt Doctores. Ejus tamen mentio fit c. *Exijt. §. Nec quisquam. de Verb. signif. in 6.* ubi Pontifex sic loquitur: *Qui, inquam, ulus non juris, sed facti tantummodò nomen habens, quod facti est tantum, in utendo præbet utentibus, nihil juris.*

Et quomodo differat ab Ulu facti?

14. Dicitur ulterius, *utendi tantum*. Per quam particulam Ulu juris differat ab Ulu fructu, cum quo in cæteris particulis omninò convenit: siquidem minus juris est in Ulu, quàm in Ulu fructu; & cui Ulu alicujus rei competit, vel in testamento relictus est, uti quidem eâ re potest, frui verò non potest.

Uluario.
quæ jura competant nec ne?

15. Infertur proinde, quòd Uluarius, id est, is, cui Ulu alienæ rei, v. g. horti, est concessus, possit quidem in ipso horto deambulare, ac poma, olera, & reliqua, quæ ibi nascuntur, ad suum, suæque familiæ, & hospitem victum accipere, l. *Plenum. ff. de Usu & habitatione*: non possit tamen omnes fructus recipere, eosque suo arbitratu vendere, seu alienare; sicuti possit, si haberet Ulu fructum horti. Item, si cui in testamento legeretur Ulu jumentorum, vel gregis ovium aut vaccarum, non potest percipere pecorum foetus, vel lanam (hæc enim in fructu magis, quam in Ulu numerantur) neque lac, nisi in modica quantitate, & quatenus ad victum quotidianum opus est: potest autem bobus, vel jumen-

jumentis uti ad arandum, ad agrum stercoreandum, & ad omne aliud ministerium, ad quod boves apti sunt; prout expressè habetur decisum *cit. l. Plenum. ff. de Usu & habitat. & §. 1. Instit. eod. cum concordantijs.*

16. Similiter, cui Usus domûs, seu inhabitatio ejus relicta fuit in testamento, aut aliunde competit de jure, potest quidem non solum in propria persona, sed etiam cum sua familia in ipsa habitare, imò & inquilinum secum recipere, aut aliquos hospites: non tamen potest domum alteri locare, neque inhabitationem ejus alicui concedere sine se, neque Usum hujusmodi vendere; prout similiter decisum habetur *l. Cui usus. & seqq. ff. de Usu & habitatione.*

Habenti Usum domûs quid liceat?

17. Ex quibus patet, minus esse juris in Usu, quàm in Usu-fructu: nam prædicta omnia (demptâ venditione Ususfructûs) competunt Usufructuario, non autem Usuario tantum. Cæterùm illis ipsis modis, quibus Ususfructus constituitur, vel finitur, etiam nudus Usus constitui, atque delinere solet, *cit. §. 1. Instit. de Usu & habitat.* de quibus plura Juris Consulti.

Minus juris est in Usu, quàm Usufructu.

QUÆSTIO IV.

Quid, & quotuplex sit Possessio, & quæ ejus privilegia?

18. **P**ossessio sic dicitur à pedibus, & sonat idem quasi *pedum possessio*, prout notatur *l. 1. ff. De acquirenda vel amitt. possess.* nam per pedum positionem super bona immobilia, ut puta super agrum, vel domum, solet acquiri Possessio. Tribuitur autem hoc nomen interdum ipsis rebus possessis; ut *Psalm. 77. Tradidit possessionem eorum igni.* & *Matth. 13. Erat enim habens multas possessiones, & alibi.* Verùm hoc loco Possessio accipitur pro actu, vel jure possidendi, à quo denominatur quis possessor. Et notanter sub disjunctione dictum est, *pro actu, vel jure possidendi*; hæc enim duo non sunt idem, & quamvis possint in simul conjungi (uti fit in Possessione juris & facti simul) adhuc tamen ab invicem separari valent, prout accidit in Possessione facti tantum. Hinc fit

Possessio unde sic dicitur?

variè accipitur,

19. CONCL. I. Possessio ut sic dividitur in Possessionem juris tantum, facti tantum, & in Possessionem juris & facti simul.

Hæc divisio. Ita

Ira in re communis; & patet inductione. Siquidem *Possessio juris tantum* (quæ alio nomine appellatur *Possessio civilis*) est ipsummet jus possidendi rem, solo animo retentum: & habetur, quando quis rem suam ipso facto non amplius possidet, nihilominus de jure, sed solo animo, ejus possessionem retinet, & continuat. Hoc modo civiliter, seu de jure possidet, qui abest quidem à rebus suis, adhuc autem animo eas possidet, seu occupat, eò quòd non discesserit inde animo relinquendæ possessionis, sed postea reversurus.

Possessio facti, seu naturalis tantum, &

Possessor bonæ, & malæ fidei

20. *Possessio facti tantum* (quam & *naturalem tantum* appellant) est solus actus possidendi sine jure: & talem duntaxat possessionem habet possessor rei alienæ, eò quòd jure possidendi sit destitutus. Ubi simul advertendum, quòd si possessor rei alienæ possideat eam ut suam bonâ fide (id est, si ipse habeatur pro domino, ac ipsemet bonâ fide credat, se esse dominum hujus rei, reverà tamen non sit, sed ad alium pertineat rei illius dominum) tunc dicatur is *Possessor bonæ fidei*, atque ejusmodi rem bonâ fide possidere. Si quis verò rem alienam malâ fide possideat, benè sciens, eam rem non esse suam, prout fur possidet rem furtivam, dicitur is *Possessor malæ fidei*.

Possessio juris & facti simul, quid?

21. Tandem *Possessio juris & facti simul* (quæ etiam *civilis & naturalis simul* est) vocatur ea, quæ includit simul utrumque, id est, tam jus, quàm actum possidendi. Et talis *Possessio* competit cuilibet domino, rem suam per corporalem insistentiam possidenti; id est, qui in re, quam de jure possidet, vel in aliqua parte ejus præsens existit, aut saltem res possessa est in conspectu ejus, ut ipsam videat, vel partem ejus: nam quodlibet horum sufficit ad *Possessionem facti* seu naturalem continuandam, sive deinceps tale quid fiat per se, sive per alium suo nomine. Et de hac loquendo, ulterius sit

Possessionis definitio explicatur.

Res incorporales propriè non possidentur.

22. CONCL. II. *Possessio* est rei corporalis detentio, corporis, & animi, & juris adminiculo. Ita Glossa communiter recepta *L. 1. ff. De acquirenda vel amitt. possess.* Dicitur, *detentio rei*: quia ad hoc, ut quis rem actu possideat, necesse est, eam aliquo modo detinere, seu occupare, vel per se, vel per alium, qui suo nomine eam detinet: hoc enim essentialiter requiritur ad *Possessionem juris & facti simul*, de qua procedit data definitio. Et additur, *rei corporalis*: nam res incorporales propriè non possidentur, sed dicuntur quasi possideri, arg. c. *Cum Ecclesia. de Causa Possess.* ubi Pontifex possessionem juris spiritualis eligendi, appellat *quasi posses-*

possessionem, junctâ l. Sequitur. §. Si viam ff. de Usucap. Porrò *Res corporales* sunt eæ, quæ ex sui natura tangi possunt: veluti ager, vestis, equus, aurum, & hujusmodi. *Res incorporales* verò, quæ tangi non possunt: ut sunt ea, quæ consistunt in jure, v.g. jus eligendi, jus patronatus, jus ad hæreditatem, Ususfructus, & alia hujusmodi jura.

23. Dicitur ulterius, *corporis, & animi adminiculo*. Quia ad Possessionem unum sine altero non sufficit, sed requiritur, ut quis rem corporaliter apprehendat, seu detineat; simulque ut eam detineat tanquam suam, sicque animo possidendi, & non solum nomine alterius ipsam habeat. Hinc Depositarius (id est, ille, qui rem alterius apud se depositam retinet) non dicitur possidere Depositum, quia non detinet illud animo possidendi, ac retinendi sibi. Additur verò, & *juris adminiculo*: quæ particula sonat idem, ac *jure non refragante*, sive, ut habeatur possessio illa non contra jus & fas: nam data definitio convenit Possessioni juris & facti simul. Et per hoc excluditur Possessio manifestè injusta, qua v. g. fur, aut alius rei alienæ in vafor, possidet rem alienam: siquidem talis non habet Possessionem juris & facti simul, quia non detinet rem illam juris adminiculo, sed contra jus & fas; quamvis habeat Possessionem facti, seu naturalem.

24. Quæres, quidnam privilegii conferat Possessio? Resp. plura sanè privilegia, & commoda afferre Possessionem: adeò quidem, ut quando à duabus partibus litigantibus de proprietate alicujus rei controversia coram Judice agitur, plerumque, & ferme semper, existat ingens contentio de ipsa Possessione; uti notatur §. *Retinenda. Instit. de Interdictis*.

25. Et primò quidem in tali casu, si videlicet oboriatur controversia inter quosdam derei proprietate, sive dominio, & adhibita diligenti inquisitione maneat adhuc dubium, cujusnam res illa sit: tunc melior est conditio possidentis, & ipsi adjudicabitur causa, juxta Reg. 65. Juris in 6. *In pari delicto, vel causa, prior est conditio possidentis*. Deinde Possessio parit in judicio presumptionem dominij: unde in prædicto casu possessor non tenetur probare, rem esse suam, sed alter, qui eam repetit; & quidem, si hic non satis probaverit rem esse suam, nihil obtinebit, sed alter remanebit in possessione, etiamsi reverà res eius non sit; prout expressè habetur cit. §. *Retinenda. Instit. de Interdictis*. Ulterius Possessio, si sit bonæ fidei, suo tempore parit præscriptionem; id est, facit, ut res, quæ priùs reverà non erat tua, elapso tempore à jure definito fiat tua, ita ut non amplius teneatur

Res corporales, & incorporales, quæ?

Depositarius non possidet, cur?

Possessionis privilegia, plura.

Enumerantur præcipua.



[a] Dist. 6. ris eam domino, postea primùm ipsam repetenti, restituere; de quo plura inferius (a) agendo de Præscriptione.

segg.

Possessor, si spoliatur, ante omnia restitui debet.

26. His accedit, quòd si Possessor privatâ alicujus violentiâ de possessione rerum suarum exturbetur, aut eâ clam spoliatur, ante omnia debeat fieri restitutio spoliati; non obstante, quòd occupator alleget titulum, velitque probare, rem illam esse suam. Generaliter enim restitutio spoliati ante omnia fieri debet, c. In litteris. & seqq. de Restitut. spoliati. Nec potest cogi spoliatus (dummodò probaverit, se per adversarium violentè, aut clam, possessione rei suæ spoliatum fuisse) ad alios causæ articulos respondere, donec sibi restitutio spoliati facta sit: & tunc primùm pars adversa, si quidpiam proponere voluerit, audiri debet, arg. c. 1. & c. Conquerente. eod. cum concordantijs. Tandem Possessor ab altero invasus potest vim vi repellere, remque suam defendere, etiam armis, si ita opus fuerit; aut jam expulsus, possessionem suam repetere, dummodò id statim sive incontinenti fiat, c. Olim, de Restitut. spoliatorum, & l. Idem est. ff. de Vi & vi armata.

Possessor invasus potest vim vi repellere.

DISTINCTIO IV.

De Objecto, & Subjecto capaci Dominiij.

QUÆSTIO I.

Quænam cadant sub objectum Dominiij?

De cujus Dominio hic agatur?

1. **N**on est sermo in proposito de Dominio Dei, quod esse supremum atque perfectissimum in omnes creaturas, de fide est. Neque agitur hic de Dominio Angelorum, sed duntaxat de Dominio hominis, investigando, quænam cadant sub perfecto Dominio hominis; id est, quænam sint illæ res, in quas homo potest habere Dominium perfectum.

Sub Dominium hominis cadunt?

2. **CONCL. I.** Omnes res corporeæ inferiores, utputa agri, montes, flumina, plantæ, bestię, metalla &c. cadunt sub Dominium hominis. Ita communis; & patet ex illo Gen. cap. 1. Cre-

Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & domina-
mini piscibus maris, & volatilibus caeli, & universis animantibus, quae mo-
ventur super terram, & alibi. Dicitur notanter, res corporeae inferiores
&c. Siquidem rerum superiorum, quales sunt Angeli, & corpo-
ra caelestia, homo non dicitur propriè habere Dominium; bene
tamen quorundam effectuum ab ipsis profectorum, ut luminis, ca-
loris &c. nam hinc certa jura proveniunt, utputà jus prospectus, Et quid de
superiori-
bus?
& hujusmodi, quae alio nomine appellantur *Servitutes*, de quibus
Jurisperiti.

3. CONCL. II. Potest unus homo cadere sub Dominium
alterius, & hic in ipsum habere non solum Dominium jurisdic-
tionis, sed aliquo modo etiam proprietatis. Ita rursus com-
munis. Prima Pars de Dominio jurisdictionis est clara: sic enim
Pater in filium, Dominus in servos, Rex aut Imperator in subditos
suos, habet Dominium jurisdictionis. Altera pars, quod etiam ali-
quo modo unus homo habeat Dominium proprietatis in alium,
patet in mancipijs, seu servis propriè dictis, quorum olim frequens
erat usus, & poterant à dominis ad libitum vendi. Additur ta-
men, *aliquo modo*: quia dominus non habet tale Dominium in
servum, seu mancipium propriè dictum, ut possit ipsum pro libi-
tu & absque ulla causa occidere. sicut potest jumentum suum in-
terficere; nam hoc est contra illud Præceptum Decalogi lumine
naturæ notum, *Non occides*.

4. CONCL. III. Homo non habet Dominium vitæ suæ, sed
istud penes solum Deum remanet: unde homo est quidem pro-
curator, custos, & quasi usufructuarius vitæ suæ, non autem dominus.
Pater hoc ex illo Sapientiae 16. *Tu es Dominus, qui vitæ & mortis ha-
bes potestatem*. Accedit ratio: quia alioquin, si homo esset domi-
nus vitæ suæ, posset licitè se privare vitâ, ac seipsum interficere:
hoc autem est falsum & contra citatum illud, *Non occides*; ergo.
Cæterum licet homo non sit dominus vitæ suæ, est tamen ejus-
dem procurator, & custos, atque usufructuarius, ita ut habeat jus eâ fru-
endi, eamque defendendi contra injustos invasores, ac vim vi
repellendi: atque idcirco, qui privatâ auctoritate, ac sine justa
causa aufert vitam proximo, vel eam aliquâ ratione violat & di-
minuit, facit ipsi injuriam.

5. Si dicas. Potest homo licitè uti vitâ suâ cum periculo
mortis, v. g. assistendo pestiferis cum periculo contagionis, vel
occurrento hostibus primo loco in acie belli; ergo habet do-
minium vitæ suæ. Resp. negando consequentiam: quamvis
enim

enim homo in quibusdam casibus habeat facultatem utendi vitâ suâ cum probabili periculo mortis, non tamen habet potestatem, ut vitam directè ac per se possit destruere, sed solum per accidens & indirectè, quatenus iustâ de causâ potest quidpiam agere, cui videt annexum esse periculum vitæ suæ. (b) Dominium autem includit facultatem utendi re quapiam pro libitu, per se quoque ac directè ejus substantiam destruendo, si placuerit.

(b) De hoc
amplius
Tract. 9.
Dist. 3. n.
10. & seqq.

Dans no-
men militiæ
non vendit
vitâ suam,

Homo est
dominus
propriæ fa-
mæ,

Non tamen
sine causa
potest tan-
tum bonum
prodigere.

6. Quòd si urgeas. Potest homo vitam suam alteri vendere, prout fit, dum quis dat nomen militiæ; ergo. Resp. negando assumptum: falsissimum quippe est, eos, qui dant nomen militiæ, vendere vitam suam pro pretio ipsis tunc soluto; cum solummodò vendant ministerium, seipso paratos offerendo ad sustinendos quoscunque labores atque onera militiæ, etiam cum vitæ periculo, imò, si opus fuerit, usque ad effusionem sanguinis.

7. CONCL. IV. Homo verè quidem est dominus propriæ famæ, & honoris; adhuc tamen sine causa tantum bonum prodigere, & licitè negligere non potest. Ita D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 4. ubi docet, in cujusque arbitrio esse, pati detrimentum suæ famæ, nisi vergat hoc in periculum aliorum; Mastrius disp. 3. Theol. Mor. n. 34. Lessius, & alij. Ratio est: quia homo post vitam à Deo acceptam, comparat sibi primùm bonam famam; ergo non est ratio, cur non sit dominus ejus, sicut est aliarum rerum, quas proprio labore acquirit. Et hinc multi Sancti propriam famam, & honorem positivè spreverunt, ut per virtutem Humilitatis vitam æternam tutiùs consequerentur. Sic D. Augustinus scripsit Libros Confessionum, & S. P. N. Franciscus è publico loco suos defectus denunciavit: quod idem in simili factum est ab alijs pluribus Sanctis.

8. Cæterùm non esse licitum, sine causa tantum bonum propriæ famæ & honoris prodigere, patet ex illo Ecclesiastici 41. Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni. Unde D. Augustinus lib. De bono viduitatis, cap. 22. & refertur e. Non sunt audiendi. 1. q. 3. sic inquit: Nobis necessaria est vita nostra, alijs fama nostra. Et idem in Serm. de Communi vita Clericorum, relatus c. Nolo. 12. q. 1. ait: Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo: qui fidens conscientie suæ, negligit famam suam, crudelis est.

QUE-

QUAESTIO II.

De Peculio Filijfamilias, nec non & Bonis Uxoris.

9. **P**eculium, ut habetur l. Depositi. ff. de Peculio, dictum est, Peculium, quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum. Et quantum attinet ad primam partem Quaestionis, Peculium Filijfamilias communiter quadruplex assignatur, videlicet castrense, quasi castrense, profectitium, & adventitium.

10. Peculium castrense dicitur illud, quod Filiusfamilias acquirit in castris, non acquiritur aliunde: & hujusmodi bona, quae ipse acquirit, dum militat in castris, dicuntur Bona castrensia.

11. Peculium quasi castrense est, quod Filiusfamilias, qui sunt Magistri artium liberalium, Medici, Clerici, vel Advocati, de publico acquirunt: & si quis Filiusfamilias habeat talia bona, dicitur is habere Bona quasi castrensia, seu Peculium quasi castrense. Porro bona hujusmodi sive castrensia, sive quasi castrensia, pleno jure, tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum semper ad filios pertinebant, & adhuc pertinent; prout fatentur Juristae, & Theologi unanimiter.

12. Peculium profectivum dicitur, quod de rebus paternis proficiscitur, & filius in ipsis negotiando lucratur. Et hoc totum, tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum, patri acquiritur; ut habet communis Doctorum.

13. Tandem Peculium adventivum dicitur omne illud, quod Filiofamilias advenit ex alia causa, quam ex enumeratis; utputa quod advenit seu acquiritur ipsi per testamentum ab avo, vel avia, vel aliquo alio factum, aut ex prospera fortuna, vel hujusmodi. Et horum bonorum adventivorum usumfructum habet pater, quamdiu filius est sub sua potestate: dominium autem eorum remanet filio. Et per hoc patet ad primam partem Quaestionis de Peculio, sive Dominio filiorumfamilias.

14. Quantum attinet ad alteram Quaestionis partem, seu ad Bona Uxoris, est notandum, alia esse Bona Uxoris dotalia, alia paraphernalia. Bona dotalia aliud non sunt, quam dos, quae ab uxore, vel ab alio ejus nomine, datur marito ad onera Matrimonij sustinenda, nimirum ad alendam uxorem, liberos, familiam &c. Haec enim cura praecipue incumbit marito. Bona paraphernalia uxoris e contra dicuntur res illae, quas uxor praeter dotem, quam

marito pro oneribus Matrimonij dedit, simul attulit, sibi que reservavit. Hoc prenotato, sit

Dotis proprietatis maritus penes uxorem.

15. CONCL. I. Quamvis uxori remaneat proprietatis dotis marito allata (excepto uno, vel altero casu) nihilominus plena bonorum dotalium administratio, & ususfructus ad maritum attinet; idque tum ad alendam uxorem atque familiam, utpote quæ cura specialiter incumbit marito, tum ad alia onera Matrimonij subeunda. Ita communis, estque clarè decisum *l. 2. §. 1. Dotis fructus. ff. de Jure dotium*, cum concordantijs. Imò dotis proprietatis ita remanet penes uxorem, ut pro ea sint ipsi tacite hypothecata omnia bona mariti, donec sibi dos restituatur, *text. clar. l. In rebus. C. de Jure dotium*. Quare soluto Matrimonio per mortem viri, præfertur uxor in repetenda dote omnibus alijs personarum creditoribus, etiam tempore prioribus, & hypothecam habentibus. Quin etiam durante Matrimonio, si maritus ad inopiam vergit, ita ut periculum sit, ne dotem aggrediatur & absumat, fas est uxori eam repetere, *arg. cit. l. In rebus. C. eod. & amplius declarat Layman l. 3. tract. 4. cap. 13. num. 7.*

Excepto uno, vel altero casu.

16. Dicitur notanter in Conclusionem, *excepto uno, vel altero casu*: nam duo præcipue dantur casus, in quibus Dominium dotis plenè ad maritum transit, sed cum obligatione tantundem soluto Matrimonio restituendi. Primus est, si dos consistat in numerata pecunia, vel alijs rebus usu consumptibilibus, *arg. l. Res in dotem. ff. de Jure dotium*. Secundus est, si res dotalis usu non consumptibiles, utputà fundus, domus &c. æstimatae dentur, non quidem eo solo animo, ut scietur earum valor, si fortè deperditæ vel diminutæ fuerint culpa mariti, sed ita æstimatae, ut æstimatio faciat venditionem & emptionem: nam tunc maritus acquirit Dominium ipsarum & summæ pecuniarum taxatæ velut pretij debitor efficitur, ac (nisi secus conventum fuerit) soluto Matrimonio potest retinere rem, & offerre pecuniam taxatam, *text. clar. l. Quoties. C. de Jure dotium*. Est autem inter dotem, quæ transit in Dominium mariti, & quæ non transit, hoc notabile discrimen, quòd in casu, quo dos transit in Dominium mariti, rerum dotalium periculum ad maritum spectat, *arg. cit. l. Res in dotem. ff. eod.* quòd alioquin ad uxorem, tanquam dominam earum rerum, pertineret: quia quælibet res domino suo stat aut cadit, melioratur vel perit. Verùm de dote plura Jurisperiti.

17. CONCL.

17. CONCL. II. Quantum est de Jure Cæsareo, uxor in Bona paraphernalia non solum proprietatem, sed etiam plenum dominium atque administrationem habet, ita ut maritus eâ nolente nequaquam hujusmodi bonis sese immiscere possit; quamvis bonum atque consultum sit mulieri, quæ seipsam committit marito, res etiam suas pari arbitrio gubernari. Ita habetur expressè in Jure Civili l. Hac lege. C. de Pactis conventis, estque communis. Additur tamen, quantum est de Jure Cæsareo: quia in aliquibus locis, præsertim extra Romanum Imperium existentibus, servantur aliæ Leges, non verò Jus commune Cæsareum; prout nominatim de Belgio testatur Herincx disp. 1. de Contractibus, num. 55.

Quid de Bonis paraphernalibus uxoris?

18. Ex dictis inferitur, virum graviter peccare, consumendo ac dilapidando Bona paraphernalia uxoris sine ejus licentia; utpote cum rem alienam absumat. Quinimò etiam si marito committatur Bonorum paraphernalium administratio, adhuc tamen is gravem admittit injuriam, si prædicta Bona in potitationes, Venerem, aliisque prodigas aut turpes alienationes expendit. Gobat tract. 5. Quinarij, cap. 24. num. 4. & seq.

Corollaria.

19. Inferitur ulterius, etiam uxorem graviter peccare, & quidem mortaliter, si summam notabilem ex bonis mariti, vel quorum administratio ad ipsum pertinet, eo rationabiliter invito, accipiat: quia accipit illud, cujus dominium, vel certè administratio ad ipsam non pertinet, sed ad maritum, qui exinde tenetur providere familiæ. Additur notanter, summam notabilem: quia non peccat mortiferè, si quantitas judicio prudentis, spectato statu, opibus, aliisque circumstantijs non sit notabilis; imò in hujusmodi furtis major ad peccatum mortale requiritur quantitas, quam in alijs. Verùm de hoc, & quando uxor peccet, vel non peccet, surripiendo ex bonis communibus, plura inferius agendo de Furto.

Quomodo peccet uxor, accipiens ex bonis mariti?

(c) Tract. 9. Dist. 5. n. 28. & seq.

QUÆSTIO III.

De Bonis, & Dominio Clericorum Beneficiorum.

20. Celebris est hæc Quæstio, tractans de Dominio Clericorum Beneficiorum; id est, eorum, qui habent Beneficium Ecclesiasticum, sive curatum, sive non curatum.

Bona Clericorum qua druplicia, nempe

tum. Pro cujus resolutione notandum, quod Bona Clericorum quadruplicia distingui soleant, videlicet Bona patrimonialia, quasi patrimonialia seu industrialia, merè Ecclesiastica, & tandem parsimonialia.

Bona patri-
monialia.

21. *Bona patrimonialia* Clericorum dicuntur ea, quæ Clericis obveniunt hæreditate, donatione, arte, aliâve profanâ causâ, qua solent & Laici acquirere.

Bona quasi
patrimonia-
lia, seu in-
dustrialia.

22. *Bona quasi patrimonialia, seu industrialia*, sunt, quæ à Clericis acquiruntur ex industria spirituali, sive ex extraordinarijs functionibus Ecclesiasticis absque Beneficio: veluti celebratione Missarum votivarum, Concionibus, Confessionibus audiendis, Cantu Ecclesiastico, agendo Capellanum, ac hujusmodi. Et rectè cum Navarro, *tract. de Redditibus Ecclesiasticis, monit. 19.* Bona quasi patrimonialia Clericorum dicuntur ea omnia, quæ sunt quæ sita ratione Clericalis Ordinis, vel officij, aliâ ratione, quàm juris recipiendi fructus beneficiales.

Bona merè
Ecclesiastica
ea, &

23. *Bona merè Ecclesiastica* sunt illa, quæ à Clericis acquiruntur ratione alicujus Beneficij Ecclesiastici, quod habent: qualia bona sunt ea, quæ acquiruntur intuitu Episcopatus, Canonicitus, Parochiæ, aut alterius Beneficij Ecclesiastici; uti sunt ordinarij redditus eorum, decimæ, fundationes, fructus agrorum, aliarumque rerum ad Beneficium ipsum seu Ecclesiam pertinentium.

Bona patri-
monialia
Clericorum.

24. *Bona tandem parsimonialia* Clericorum dicuntur ea, quæ Clericus aliquis ex redditibus Ecclesiasticis de congrua sustentatione parcius, quàm honestè potuisset, vivendo, sibi subtraxit. His prænotatis, sit

Clerici sæ-
culares Be-
neficiarij
habent ple-
num domi-
nium bono-
rum patri-
monialium.

25. CONCL. I. Clerici sæculares Beneficiarij habent plenum dominium bonorum suorum patrimonialium; unde de istis liberè donare, aut alio modo disponere possunt, imò etiam testari, seu testamentum facere. Ita communis, & habetur clarissimè *cap. Quia nos & c. Relatum. 12. de Testament.* ibi: *Ceterum que Clericis ex hereditate, vel artificio, aut doctrina proveniunt, distribuuntur pro arbitrio decedentis.* Accedit ratio: quia Clerici sæculares nullo modo abdicarunt dominium Bonorum suorum, sicuti abdicare solent Religiosi.

Imò & quasi
patrimonia-
lia, seu in-
dustrialia.

26. CONCL. II. Etiam de bonis quasi patrimonialibus, seu industrialibus, Clerici sæculares liberè disponere possunt, imò etiam testari. Ita Lessius *lib. 2. cap. 4. num. 37.* Navarrus, Covarruyas, & alij communiter, paucis excepis. Ratio est: quia

eul-

eiusmodi bona præstantur à Fidelibus absque ullo onere expresso, vel tacito, dandi superflua pauperibus (quale tamen onus bona Beneficiorum habent annexum) sed dantur eis veluti stipendium suæ sustentationis, & tanquam merces laborum suorum, atque operum personalium spiritualium sibi præstitorum. Unde talia non immeritò æquiparantur bonis Clericorum patrimonialibus; nam *dignus est operarius mercede sua*, Luc. c. 10.

27. Ex dictis infertur cum cit. Lessio, & alijs, quòd Clerici non magis ex bonis quasi patrimonialibus teneantur in pios usus expendere, quàm ex bonis patrimonialibus: nam amborum bonorum habent plenum dominium, ac liberam administrationem. Infertur ulterius, quòd si Clerici de his vivant, vel expendant in pias causas, tantundem accipere possint de bonis Ecclesiasticis, & de eo disponere ad libitum, sicut de bonis patrimonialibus: quia cum habeant jus vivendi ex Beneficio Ecclesiastico, non tenentur vivere ex alijs suis bonis; unde si de his vivant, possunt uti compensatione.

28. CONCL. III. Insuper de bonis parsimonialibus, quæ Clerici de congrua sustentatione, parcius vivendo, sibi ex redditibus, sive bonis Ecclesiasticis subtraxerunt, possunt iidem Clerici pro libitu disponere. Ita Covarruvias *cap. 7. de Testam. n. 9.* Lessius *n. 39.* Engel *tit. de Testam. n. 7.* & alij satis communiter, contra Abbatem, & nonnullos alios. Ratio est: quia huiusmodi pars fructuum Ecclesiasticorum est iusta merces eorum, qui Ecclesiæ serviunt: hinc redeunt fundamenta prioris Conclusionis. Major difficultas est de cæteris bonis, seu redditibus merè Ecclesiasticis, quæ congruè sustentationi superfluant; de quibus loquendo, sic

29. CONCL. IV. Clerici Beneficij acquirunt defacto verum Dominium huiusmodi bonorum Ecclesiasticorum; id tamen habeant cum onere, superflua in pauperes, aliàsque pias causas erogandi. Ita quoad primam partem probabilior, si- mulque communior Doctorum, præsertim modernorum, quamvis sic contra Navarrum *tract. de Redditiibus, quæst. 1. monit. 21.* & seq. Sannig *distinct. 5. de Justit. & jure, quæst. 4.* & multos alios tum Theologos, tum Canonistas, præcipuè antiquiores, quos refert Lessius *lib. 2. cap. 7. n. 41.* quique volunt, Clericos non esse Dominos illius portionis superflua, sed solum Oeconomos, & Dispensatores, adeò ut ex iustitia teneantur eam erogare in pias causas: & si secus egerint, teneantur ad restitu-

Corollaria

Possunt etiam pro libitu disponere de bonis parsimonialibus.

Bonorum merè Ecclesiasticorum acquirunt quidem dominium, sed cum onere, superflua in pias causas erogandi

tionem Ecclesiæ, pauperibus, vel alijs pijs causis faciendam ex alijs bonis, quæ pleno jure obtinent, puta ex patrimonialibus, indultrialibus, vel parlimonialibus. Et hæc quidem sententia non caret suâ probabilitate, simulque veluti tutior in praxi meritò tenenda.

Quod procedit defacto.

Divisio bonorum Ecclesiasticorum, quando sit facta?

30. Nihilominus data Conclusio est probabilior, & inter modernos communior: quæ tamen solum procedit *defacto*, hoc est, pro tempore post divisionem bonorum Ecclesiasticorum, per Simplicium Papam circa annum Domini 470. factam. Siquidem tunc crescente multitudine Clericorum, variisque subortis incommodis, dictus Pontifex bona Ecclesiastica in quatuor partes divisit, quarum prima tribuebatur Episcopo, secunda Clericis, tertia pauperibus, & quarta fabricis Ecclesiasticis: fuitque isthæc divisio per Gelasium Papam confirmata, ut habetur *c. De redditibus. & c. Concesso. & c. Quatuor. 12. q. 2.* Porro ante factam ejusmodi divisionem bonorum Ecclesiasticorum (quorum alterâ parte Clericis attributâ, simul fuerunt erecta Beneficia Ecclesiastica) omnes oblationes atque redditus erant bona communia, singulis prout quisque opus habebat distribuenda; & vivebant Clerici in communi, sicut modò Religiosi.

Rationes, probantes dictum dominium Clericorum.

31. Probatur nunc prima pars Conclusionis taliter explicata, ex Jure Canonico. Nam *cap. un. de Clericis non resident: in 6.* dicitur, quòd Clerici, qui extra casus à Jure concessos non interfunt Divinis Officijs, *si de distributionibus ipsis quidquam receperint, rerum sic receptorum dominium non acquirant*: ergo supponitur, quòd alij Clerici Beneficarij, qui interfunt Divinis Officijs, acquirant dominium suorum reddituum Ecclesiasticorum, atque distributionum quotidianarum; alioquin frustra privarentur non interessentes tali dominio. Deinde Concilium Lateranense sub Leone X. & B. Pius V. in sua constitutione, quæ incipit, *Ex proximo* (& habetur tom. 2. Bullarij Romani, *Constit. 135. disti Pontificis*) statuunt, atque declarant, quòd Clerici Beneficarij, pro rata omissionis Horarum Canonicarum, *fructus non faciant suos*; ergo cæteri recitantes, censentur fructus facere suos: nam argumentum à sensu contrario, in Jure reputatur fortissimum. Et hoc ipsum clariùs ostendit Concilium Trident. *Sess. 24. c. 12. de Reformat.* ubi vulc, quòd Clericus, in casu ibidem expresso delinquens, *privetur dimidiâ parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac residentie fecit suos.* Ubi ponderandum ly, quos ratione Præbendæ,

ac residentia fecit suos. Accedit ratio : quia Clerici saeculares Beneficiorum defacto capaces sunt dominij; ergo, cum tot Jura illud ipsis concedere videantur super redditus Ecclesiasticos, non est hoc eisdem denegandum.

32. Altera pars Conclusionis, quod Clerici tale dominium habeant cum onere, superflua in pauperes aliasque pias causas erogandi, est communis Doctorum sententia; de qua testatur Lessius *loc. cit. num. 47.* Herincx *disp. 4. de Just. & jure, num. 130.* asserens, apud Doctores communiter esse indubitatum, Clericos graviter esse obligatos ad superflua expendenda in pias causas; Lugo *disp. 4. de Justit. & jure, sect. 2. n. 1.* dicens, quod communis est omnium Doctorum sententia, adesse talem obligationem, ac alij. Et hoc desumitur imprimis ex *can. 39. & 75. Apostolorum*, atque ex pluribus textibus Juris Canonici: ut ex *c. Quia tua. 12. q. 1.* ibi: *Omne, quod superest, in causis pijs ac religiosis erogandum est, &c.* Et *c. Res Ecclesiae. 12. q. 1.* & alibi. Hinc S. Urbanus Papa (atque refertur in Breviario Romano, die Felto ipsius, 25. Maij) de bonis Ecclesiae attributis scripsit his verbis: *Ipsa res Fidelium, qua Domino offeruntur, non debent in alios usus, quam Ecclesiasticos, & Christianorum fratrum, & indigentium converti: quia vota sunt Fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.* Concordat Concilium Trident. *Sess. 25. cap. 1. de Reform.* ubi *Omnino cis (Episcopis, aliisque Beneficia habentibus) interdicit, ne ex redditibus Ecclesiasticis, consanguineos, familiaresve suos augere studeant: cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, qua Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, ijs ut pauperibus distribuant.* Ita Tridentinum.

33. Quo autem Jure hujusmodi obligatio erogandi superflua in pias causas incumbat Beneficarijs, variant Doctores. Et quidem, quotquot cum Navarro negant, Clericos acquirere dominium talium bonorum merè Ecclesiasticorum superfluum, consequenter inferre solent, eos Jure naturali, ac Divino, ex motivo virtutis Justitiae teneri talia in pias causas expendere; ne alioquin alienum rapere, aut malè expendere convinctur. Alij vero, qui tale dominium Clericis admittunt, iterum in diversas abeunt sententias: imprimis enim nonnulli volunt cum Laymano *lib. 4. tract. 2. cap. 3. num. 3.* eos nihilominus ex virtute Justitiae obligari. Aliqui cum Lessio *lib. 2. cap. 4. num. 47.* & Soto, arbitrantur, eam obligationem procedere solum ex praeepto positivo Ecclesiae, passim in SS. Canonibus inculcato: cui sententiae favet Herincx *loc. cit. num. 135.* Quidam cum Fagnano *in c. Si quis*

Rationes, ostendentes obligationem erogandi superflua in pias causas.

Quo jure Beneficarij teneantur superflua in pias causas erogare? Referuntur diversae sententiae.

(a) Tract.
4. Dist. 6.
quæst. 4.

Sententia
probabilior.

sanò, n. 1. & seqq. de Peculio Clericor. asserunt, Beneficiarios teneri ex lege Charitatis redditus superfluos in pauperes erogare. Sed hanc sententiam reliqui admittunt duntaxat in casu, quo adsunt pauperes in extrema, vel gravi necessitate constituti: nam tunc equidem tenentur Clerici (imò & Sæculares) eisdem de superfluis subvenire ex præcepto Charitatis, non verò extra talem casum necessitatis, ut alibi (a) dictum.

34. Alij tandem, & quidem probabilius, asserunt cum cit. Lugone, num. 16, & seqq. dictam obligationem oriri ex virtute Religionis, & qualitate ipsorum bonorum, quæ sunt Res Dei, atque ex primæva Fundatorum intentione, per Ecclesiam ipsamque Beneficiarium in institutione, vel receptione Beneficij Ecclesiastici acceptata, cultui Divino specialiter deputata, ut proinde non nisi piè & religiosè expendi debeant. Ratio est; quia hujusmodi bona sunt specialiter oblata, & destinata ad cultum Divinum, unde & dicuntur *Res Dei*, *Vota Fidelium*, &c. eaque bona recipiunt Clerici Beneficij ab Ecclesia sub ista obligatione (hoc est, tanquam *Vota Fidelium*, & *Res Dei* &c.) per textus proximè allegatos: ergo hoc ipso tenentur Clerici ex motivo Religionis, ab Ecclesia & Fundatoribus intento, superflua in cultum Divinum, piàsque causas expendere; atque aliter expendendo peccabunt contra virtutem Religionis, non minùs, ac hæres non adimplens vota realia defuncti. Nam & hujusmodi vota, supposita tamen defuncti voluntate, atque aditâ hæreditate, obligant hæredem ex virtute Religionis, cujusmodi obligatio est de Jure naturali & Divino.

Dicta obligatio est personalis Clericorum.

35. Notant tamen Doctores cum Lessio lib. 2. cap. 19. num. 48, quòd hujusmodi obligatio sit personalis Clericorum: hinc alij ab his accipientes, non amplius hoc jure tenentur. Nam quamvis Beneficiarius ille res merè Ecclesiasticas superfluas malè in causas profanas expenderit, nec non & peccaverit, valida tamen fuit dispositio ejus; cum habuerit dominium illorum bonorum, licèt cum onere personali, superflua in piàs causas expendendi.

Corollarium.

36. Ex dictis infertur cum D. Thoma *Quodlibeto 6. art. 12.* quòd Clerici talia bona, seu redditus merè Ecclesiasticos superfluos, in causas profanas impendentes, obligentur quidem ad agendas poenitentiam, non verò ad faciendam restitutionem. Ratio est: quia cum peccent, si malè expendant bona merè Ecclesiastica in res profanas, hinc tenentur agere poenitentiam de hoc

hoc suo peccato : restituere verò nihil tenentur, cum habuerint dominium talium bonorum.

37. Nec dicas. Si Clerici Beneficij habent dominium talium bonorum, ergo hoc ipso liberè de eis disponunt ; sicque non peccant illa expendendo etiam in causas profanas. Resp. enim negando consequentiam : quia, ut jam supra (b) dictum, (b) *Dist. Dominium est jus perfecte disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* 3. n. 4.

Solvitur in
stantia.

In proposito autem Clericis Beneficariis prohibitum est, tales redditus Ecclesiasticos in causas profanas expendere ; & quidem non solum Jure Canonico pluribus in locis, verum etiam Jure naturali & Divino, dum ex motivo virtutis Religionis jubentur bona Divino cultui specialiter destinata, Deoque oblata, non nisi ad dictum finem causasque pias expendere.

38. Veruntamen circa hoc advertendum, quòd notabilis summa, sufficiens ad constituendum peccatum mortale ratione superfluum bonorum Ecclesiasticorum in causas profanas expensorum, vocetur ea, non quæ furto sublata sufficeret ad peccatum mortale, sed quæ censeri potest pars aliquo modo notabilis respectu ipsorum reddituum superfluum Beneficij ; prout observat Lugo *loc. cit. n. 42.* Herincx *n. 134.* Molina, Cominch, & alij. Ratio diversitatis est ; quia Clerici habent dominium illorum bonorum, non sic fur in re furtiva. Deinde hic non versamur in materia Justitiæ, sicuti accidit in furto ; cum obligatio dandi superflua in pias causas, oriatur ex motivo duntaxat Religionis ; sicque satis sit ad vitandam gravem culpam, eadem taliter expendere, ut si non mathematicè, saltem moraliter quis ipsa piè & religiosè expendisse dici possit : quod salvatur, quamdiu notabilis dictorum reddituum pars malè non impenditur.

Quantitas
sufficiens ad
peccatum
mortale ra-
tione bono-
rum Eccle-
siasticorum
malè ex-
pensorum
quæ ?

39. Insuper præter detracta bona patrimonialia, industria, & parsimonialia, hic habenda est ratio personæ Clerici, & aliarum circumstantiarum. Nam quæ respectu inferioris Beneficij possent censeri superflua, non sunt talia respectu alterius in altiori gradu constituti ; & quæ cæteroquin malè impensa dici possent, concurrentibus certis circumstantijs talia non sunt : unde hæc prudenti, simulque pio judicio, discernenda veniunt.

Et quomo-
do compu-
tanda ?

40. Objicies majoris claritatis gratiã cum Navarro, & alijs, contra primam partem datæ Conclusionis. In c. Quia juxta 16. q. 1. dicitur : *Juxta Sanctorum Patrum traditionem novimus, res Ec-*

Objectiones
notabiles
solvuntur

eclesie vota esse Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, Insuper D. Augustinus, relatus c. Si peccatum. 12. q. 1. & rursus e. Quod autem. 16. q. 7. loquens de bonis Ecclesie, inquit: Non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus, cum pluribus concordantijs: ergo si bona Ecclesie sunt res Dei, & patrimonia pauperum, & ipsi Clerici duntaxat eorum Dispensatores, & quodammodo Procuratores, non Proprietarij, hoc ipso non habent dominium ipsorum. Resp. negando consequentiam, & explicando dictas, atque alias consimiles autoritates.

Bona Ecclesiastica, quomodo dicantur res Dei,

41. Inprimis enim bona Ecclesiastica dicuntur *Res Dei*, quatenus cultui Divino specialiter sunt dedicata, & oblata à Fidelibus: non autem, quasi dominium eorum præcisè maneat penes Deum. Cum certum sit, eorum dominium transire in Ecclesiam, juxta illud c. Nulli. 12. q. 2. *Omne, quod Domino consecratur, sanctum sanctorum Domino est, & ad jus pertinet Sacerdotum.*

Item res seu patrimonia pauperum?

42. Deinde hujusmodi bona dicuntur *Res, seu patrimonia pauperum*: tum ex eo, quia collata fuerunt ad honestam sustentationem Ministrorum Ecclesie, qui ante erectionem Beneficiorum, & divisionem bonorum Ecclesiasticorum (de qua num. 30.) verè pauperes erant, & nihil proprii in particulari habebant. Tum etiam ea dicuntur bona sive patrimonia pauperum, non propriè & quoad dominium seu proprietatem, sed quoad debitum seu obligationem erogandi eadem pauperibus, in quantum necessariam & decentem sustentationem excedunt; prout explicat Fagnanus cap. Si quis sanè. n. 4. & 5. de Peculio Clericorum. Et quidem eiusmodi obligatio etiamnum habetur, non quidem ex debito Justitiæ, sed Religionis

Clerici, in quo sensu dicantur Dispensatores &c. bonorum Ecclesie?

43. Tandem Clerici dicuntur Dispensatores, & quodammodo Procuratores bonorum Ecclesie, alludendo ad tempora primitivæ Ecclesie, atque ante erectionem Beneficiorum, & divisionem bonorum Ecclesiasticorum, per Simplicium Papam primùm factam: nam antea Clerici erant pauperes, nihilque in particulari possidebant, sed eis per Episcopos bona Ecclesie, aliæque à Fidelibus oblata, opportunè dividebantur, prout habetur c. Episcopus. & c. Præcipimus 12. q. 1. & alibi. Quod si nonnullæ autoritates reperiantur, quæ videntur loqui de tempore post factam prædictam divisionem, eæ intelligendæ sunt de bonis ipsi duntaxat Ecclesie addictis, utitur à agris, vineis, aliisque possessionibus (nam horum Clerici Beneficarij etiam defacto sunt

sunt solum Administratores) non verò loquuntur de ipsorum redditibus: imò horum dominium acquirunt Clerici, sed cum onere superflua in pauperes erogandi, ut supra ostensum.

44. Num autem Clerici de bonis suis testari valeant, com-
modius dicitur *Tract. seq. Distinct. 3.* agendo de Testamentis, *Quæst.*
5. ubi præsens materia amplius declaratur.

An Clerici
testari pos-
sint, remissi-
vè.

QUÆSTIO IV.

De Dominio Religiosorum.

45. **C**ONCL. I. Religiosi solemniter professi sunt in parti-
culari penitus incapaces omnis dominij, ac juris rerum
temporalium, ita ut nemo eorum quidquam suo no-
mine, seu tanquam proprium possit tenere. Ita certa, & com-
munis omnium. Patet hoc imprimis ex c. *Cum ad Monasterium.*
de Statu Monachorum, ibi: *Nec estimet Abbas, quòd super habenda*
proprietate possit cum aliquo Monachorum dispensare: quia abdicatio
proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa Regula Monachali,
ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam dare; & alibi. Con-
cordat Concilium Trident. *Sess. 25. cap. 2. de Regularibus*, plura cir-
ca hoc statuens.

Religiosi
solemniter
professi sunt
incapaces
dominij re-
rum tem-
poralium.

46. Dicitur, *Religiosi solemniter professi*: quia Novitij retinent
dominium bonorum suorum. Quinimò etiam illi, qui in Socie-
tate Jesu finito biennio probationis emittunt tria Vota substan-
tialia, sed simplicia solum, Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ,
adhuc retinent dominium bonorum suorum per aliquod tem-
pus à Superioribus præscribendum, quo faciant abdicacionem
bonorum suorum; quamvis interim eo dominio licitè uti non
possint sine consensu Superiorum, propter Votum simplex Pau-
perratis: prout patet ex Bulla Gregorij XIII. *Ascendente Domino.*
1584. edita, habeturque tom. 2. Bullarj Romani, *Constit. 89. dicti*
Pontificis.

Quid de
Novitijs, ac
emittenti-
bus Vota
simplicia in
Societate
Jesu?

47. Additur etiam in Conclusionè, *bonorum temporalium*: Habent Re-
quia jurium, & bonorum spiritualium, possunt Religiosi ha-
bere dominium, vel quasi dominium. Unde simplex Religio-
sus retinet jus honoris, ac famæ suæ, juxta D. Thomam 2. 2. q.
116. art. 7. ad 4. Item jus eligendi, præsentandi, confirmandi,
absolvendi, suscipiendi alimenta de bonis communibus Mona-
sterij, ac hujusmodi; adeò, ut etiam possit agere nomine pro-
prio

Habent Re-
ligiosi quasi
dominium
bonorum
spiritua-
lium.

prio super hujusmodi juribus in ordine ad spiritualia bona sibi competentibus, casu quo negarentur: nam per Votum Paupertatis Religiosi non renunciant bonis spiritualibus, nec juribus predictis, sed tantum temporalibus, sive bonis exterioribus. Miranda tom. 1. *Manualis Pralat. Quest. 28. art. 1. in fine*, & alij.

Qui Religiosi habent dominium rerum temporalium in communi?

48. CONCL. II. Religiosi professi cujuscunque Ordinis (excepto Ordine FF. Minorum de Observantia, & Capuccinorum) possunt in communi habere dominium bonorum temporalium, ita ut hæc eorundem Congregationes, Monasteria seu Domus, vero dominio possideant. Ita rursus certa, & communis; atque habetur expressum, & novissimè concessum in Concilio Trident. *Sess. 25. cap. 3. de Regularibus.*

Dominium istud non est omnino liberum.

49. CONCL. III. Nihilominus Dominium istud Religiosorum in communi, atque Monasteriorum, non est omnino liberum & independens, sicuti est dominium sæcularium. Ita certa, & communis. Ratio est: quia Sæculares possunt libere disponere de rebus suis; dominium verò Religiosorum in communi habet annexum onus, ut non possit Monasterium alienare bona immobilia, vel etiam mobilia pretiosa; nisi ex justa causa, & servatis debitis Juris solemnitatibus, atque assensu Summi Pontificis (quamvis in Germania, & quibusdam locis remotis, de consuetudine, atque ob locorum distantiam, & difficultatem adeundi Summum Pontificem, sufficiat assensus Episcopi, ut notat Ludov. Engel, *tit. De rebus Ecclesie non alienandis, num. 15.*) Quod si factus fiat, alienatio nulla est & irrita, atque non solum alienans bona Ecclesiastica, sed etiam sic alienata suscipiens, incurrit pœnam excommunicationis, juxta Extravag. *Ambitiosa. tit. De rebus Ecclesie non alienandis.* Cæterum, an Religiosi possint condere Testamentum, vel facere donationem mortis causâ, dicetur infra (c) suo loco. Alia verò melius ex specialibus singulorum Ordinum Regulis, & Constitutionibus patebunt.

(c) Tract. 8. Dist. 3. Quest. 4. n. 38. & seqq.



DISTINCTIO V.

De Acquisitione Dominiij,

QUÆSTIO I.

De modis generatim acquirendi rerum Dominium, Bonis que incertis, ac Theauris inventis.

1. **A**dvertendum, quod res corporales, quæ sub dominio proprietatis cadere possunt, generatim sint duplicis generis. Quædam enim etiam nullius sunt, sed carent proprio domino: uti sunt gemmæ in litore maris, pisces maris, volucres cæli, & alia hujusmodi, quæ necdum in dominium cuiuspiam devenerunt. Et horum dominium potissimum acquiritur Occupatione; id est, talia fiunt regulariter primo occupantis.

Res corporales alia, quæ carent domino

2. Aliæ verò res corporeæ sunt, quæ habent dominum. Et hæc rursus distinguuntur in eas, quæ habent certum dominum: uti sunt bona Petri, bona Pauli, &c. Et in eas, quæ habent dominum incertum, id est talem, de quo ignoratur, quis ille sit; ut si invenio rem perditam ab altero, & nescio quis ille sit. Et hæc alio nomine solent dici *Bona incerta*.

Alia, quæ habent dominum, certum vel incertum.

3. **CONCL. I.** Tribus præsertim modis generatim rerum corporalium dominium acquiri solet. I. Jure naturali, seu Gentium: & hoc fit multipliciter, nimirum Occupatione, Nativitate, Alluvione, Specificatione, Accessione, Confusione, Commixtione, Edificatione, Plantatione, Fructuum perceptione, & Traditione; de quibus plura in progressu. II. Solet acquiri rerum dominium jure Civili, atque Canonico; idque contingit potissimum mediante Præscriptione, atque Usucapione, utpote quæ ad magis conservandam pacificam hominum conversationem, præcludendâsque infinitas lites, per leges tum Civiles, tum Ecclesiasticas, fuit introducta & constituta. (a) III. (a) De hoc Acquiritur rerum dominium privatâ hominum voluntate, Dist. seq. dum per varias conventiones, pacta & contractus, homines per totum.

Quibus modis generatim acquiritur rerum dominium?

H h h

do

(b) De hoc dominium rerum sibi antea propriarum in alios transferunt,

agetur (b)

Tract. 8.

per totum.

Quid de

modo ac-

quirendi re-

rum domi-

nium Jure

belli?

(c) Tract.

4. Dist. 7.

Quaest. 4.

Res, quæ

nullius sunt,

Jure Naturæ

fiant primò

occupantis.

Limitatur

hoc,

Bona incer-

ta, quæ, &

ad quid te-

neatur ea-

rum inven-

tor?

An dominus

amittat re-

4. His addi posset modus acquirendi rerum dominium Jure belli (intellige) justii. Verum modus iste potest comprehendere sub primo, quo acquiritur rerum dominium Jure Gentium, & commodè reducitur ad Occupationem: quamvis enim hæc potissimum habeat locum in ijs rebus, quæ antea nullius sunt, ac proinde Jure Gentium fiunt primò occupantis, tanquam potioris; tamen ad Occupationem etiam reduci possunt capta ab hostibus, eò quòd & hæc, si sint mobilia, regulariter fiant primò occupantis, ut alibi dictum. (c)

5. CONCL. II. Res illæ, quæ nullius sunt, Jure Naturæ ac Gentium fiunt primò occupantis, nisi lege aliquâ humanâ earum dominium cuiquam alteri applicetur. Ita communis; habeturque expressum §. Fera. Instit. de Rerum divisione, ibi: Fera igitur bestia, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, celo, & terrâ nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, Jure Gentium statim illius esse incipiunt: quod enim antè nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.

Additur notanter in Conclusionem, nisi lege aliquâ humanâ earum dominium cuiquam alteri applicetur. Nam tunc esset standum dispositioni talis legis communis, utpote justæ, atque autoritate publicâ in bonum Communis latæ: prout fit in bonis vacantibus, id est, in bonis morientium sine hærede; hujusmodi enim bona, quamvis dominum amplius non habeant, non fiunt primò occupantis, sed ex dispositione Juris applicantur Fisco.

6. CONCL. III. Bona incerta (id est, ea quæ quidem dominum habent, sed ignoratur, quis ille sit; uti sunt bona casu amissa, & ab altero inventa, aut quæ in periculo naufragij projecta fuerunt in mare, & postmodum ad littus evaserunt.) Hujusmodi, inquam, bona incerta quisquis repererit, obligatur ea restituere veris dominis, si eos dignoscere possit, teneturque ad dominos illos dignoscendos moralem diligentiam adhibere. Ita Doctores communiter post D. Augustinum lib. 50. Homiliarum, Hom. 9. & refertur. c. Si quid. 14. q. 5. ibi: Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti: quantum potuisti, fecisti. Ratio est: quia ille, qui ejusmodi res amisit, earum dominus esse non desinit: atqui unaquæque res debet reddi domino suo; ergo.

7. Nec obstat, quòd rerum mobilium deperditarum, ita ut ignoremus ubi sint, illicò amittamus possessionem, arg. l. Si id

id quod. ff. de Acquir. possess. ibi: Si id quod possidemus, ita perdidimus, ut ignoremus ubi sit, desinimus possidere. Resp. enim primò, hoc non procedere, si adhuc adhibemus diligentem inquisitionem ad recuperandum ejusmodi rem amissam: nam quamdiu intendimus, querimus, & sollicitamus, ut inveniatur, necdum penitus perditæ est possessio ipsius; sed retinetur adhuc civilis possessio, cum spe recuperandi etiam naturalem, uti notavit Zafius ad cit. l. Si id quod. n. 5. & n. 8.

Resp. secundò, quamvis rerum deperditarum, ita ut post frustra adhibitam diligentem inquisitionem ignoremus, ubi sit, amittamus possessionem, non tamen idcirco perdimus ipsarum dominium: siquidem facilius amittitur rerum possessio, quam dominium: l. Si quis vi. ff. de acquir. possess. cum similibus. Quia igitur dominium rei deperditæ remanet adhuc penes priorem dominum, hinc oritur obligatio restituendi vero domino, si inveniatur: & quorundam contraria persuasio meritò reprobaratur à D. Hieronymo in lib. Levit. ac refertur c. Multi. 14. q. 5. illis verbis: Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant: & dicunt, Deus mihi dedit: cui habeo reddere? Discant ergo peccatum hoc esse simile rapina, si quis inventa non reddat.

8. CONCL. IV. Quòd si post diligentem inquisitionem factam dominus alium rerum incertarum, v. g. amissarum, & ab alio inventarum, amplius dignosci non possit, juxta communem magisque piam sententiam ex erunt pauperibus erogandæ, aut in alios pios usus infumendæ; quamvis non desint Doctores, probabiliter asserentes, quòd res illæ inventæ licitè ab inventore retineri possint, si post diligentem inquisitionem factam dominus illarum non compareat. Ratio primæ partis est: quia si res ipsæ domino amplius restitui non possunt, saltem restitui & applicari debent ijs, quibus velle dominus præsumitur, ut applicentur: atqui tales sunt pauperes, & aliæ piæ causæ; nam quilibet rationabiliter velle præsumitur, res suas applicari pauperibus, aut alijs pijs causis, ad remedium animæ suæ, si eas aliâ ratione acquirere nequeat.

Altera nihilominus pars Conclusionis probatur au h- Refertur aliorum sententia.
 titate Doctorum satis gravium, qui eam probabilem censent; inter quos sunt Lessius lib. 2. cap. 14. num. 48. Layman lib. 3. tract. 1. cap. 5. num. 24. Herincx disp. 4. de Justit. & jure, q. 8. num. 149. Maltrius disp. 3. Theol. Moral. num. 52. Socus, Petrus Navarrus, Ledesma, Medina, & alij: siquidem nullo (inquirent) claro

claro Jure naturali, aut Ecclesiastico, prohibetur inventor ejusmodi bona inventa retinere. Quinimò videtur Communitas hominum in talem retentionem tacitè consentire: siquidem hac ratione compensari solent fortuita rerum amillarum damna; & qui hodie amisit, cras casualiter inveniendò rem alterius, cujus dominus post adhibitam debitam diligentiam investigari nequit, rursus refarcire poterit jacturam rei suæ antea deperditæ.

Thesaurus
quid?

9. CONCL. V. *The-saurus est vetus quædam depositio pecunie, cuius non extat memoria, ut jam dominum non habeat.* Ita definitur The-saurus l. *Nunquam. ff. De acquirendo rerum dominio*; & sequuntur Do-ctores communiter. Dicitur, *depositio pecunie*: ubi sub nomine pecunie intelliguntur quævis opes mobiles, puta gemmæ, vasa, catena, nummi aurei & argentei. Et additur, *vetus*: quia si non sit vetus, adeò quòd amplius non extet memoria ejus, non censetur The-saurus propriè dictus.

The-saurus
inventus,
cujus sit?

10. CONCL. VI. Spectato Jure naturali, & Gentium, The-saurus propriè dictus transit in dominium inventoris, utpote primò occupantis; spectato tamen Jure communi Civili opus est distinctione. Ita Lessius *lib. 2. cap. 5. num. 5.* Layman *loc. cit. num. 23.* & alij. Ratio primæ partis est: quia, quæ nullius sunt, Jure naturali & Gentium fiunt primò occupantis: atqui The-saurus propriè dictus nullius est, cum jam dominum non habeat; ergo. Nec obstat, quòd forsan ex signis possit cognosci, à quorum Majoribus fuerit reconditus. Resp. enim, hoc nihil referre; quia, quod definit tanto tempore possideri, cessavit pariter esse in dominio cujusquam. Et huic parti favet textus cit. l. *Nunquam. ff. de acquirendo rerum dominio*; ubi post datam The-sauri definitionem illicò subjungitur: *Sic enim sit ejus, qui invenerit, quòd non alterius sit.* Verùm Glossa ibidem hoc intelligit, quando quis in suo fundo The-saurum invenit; aliàs verò dicendum censet, prout habetur l. 1. *C. de The-sauris, lib. 10. & §. The-saurus. Instit. de Rerum division.* quæ est altera pars nostræ Conclusionis. Pro-cujus intelligencia sit

Quid dicen-
dam specta-
to Jure Ci-
vili?

11. CONCL. VII. Spectato Jure Civili, The-saurus in proprio fundo inventus, totus est inventoris: si verò in alieno fundo, non datà ad hoc operâ, sed fortuitò The-saurum quis invenerit, utpote arando terram, vel alio quocunque casu, dimidium erit domini fundi, & dimidium inventoris. Ita expressè habetur in Jure Civili, cit. l. 1. *C. de The-sauris, lib. 10. & §. The-saurus.*

saurus. Instit. de Rerum divisione. Et quidem, cum hæc constitutio poenalis non sit, sed secundum æquitatem naturalem lata, ac definitiva proprietatis rerum, videtur obligare in conscientia ante Judicis sententiam; prout notant Lessius, & Layman *loc. cit.* post Covarruviam, Cajetanum, Navarrum, & alios, & concordant proximè dicta n. 6.

12. CONCL. VIII. Quòd si quis datâ operâ in alieno fundo Thesaurum scrutetur, atque inveniatur sine consensu domini, totum fundi domino reddere compellendus est, atque ulterius puniendus: si autem Thesaurus arte magicâ, quamvis in proprio fundo, repertus fuerit, tunc totus Fisco adjudicabitur per sententiam Judicis, idque sit in poenam criminis. Ita habetur *cit. L. 1. C. de Theauris, lib. 10.* & sequuntur Doctores communiter. Quamvis Herincx *loc. cit. n. 148.* rectè notet, quòd hæc dispositio Juris, utpote poenalis, non obliget ante sententiam Judicis, ad instar aliarum poenarum.

Quid si thesaurus inveniatur in alieno fundo, vel arte magicâ?

13. CONCL. IX. Qui scit alicubi Thesaurum latere, & emit locum, antequàm effodiat, nullam facit venditori injuriam, & fit dominus totius Theauri postmodum eruti. Ita desumitur ex *l. A tutore, ff. de Rei vindicat.* & tenent Lessius, Herincx *num. 149.* alique passim. Ratio est: quia eruit postea Thesaurum ex proprio fundo, nec tenebatur priori domino indicare ipsum, immò neque hic fuit in ejus dominio. Huc quadrat Parabola à Christo allata de Margarita pretiosa, inventa in agro, quem idcirco quis emisit legitur *Matth. c. 13.*

An licitum sit emere fundum, in quo scitur latere thesaurus?

QUÆSTIO II.

De Venatione & Piscacione, ac varijs ipsam concernentibus.

14. CONCL. I. Non obstante, quòd feræ sylvestres sub nullius dominio existant, ac proinde spectato Jure Gentium fiant primò occupantis, *arg. §. Fera, Instit. de Rerum divis.* adhuc tamen possunt Principes venationem, piscationem, & captionem hujusmodi animalium ex rationabili causa alijs interdicare. Ita Covarruvias *part. 2. in reg. Peccatum. §. 8.* Lessius *cit. cap. 5. num. 33. & seqq.* & alij satis communiter, quamvis non detulerint oppositum tenentes, quos referunt iidem Authores.

Possunt Principes venationem, & piscationem interdicare.

Conclusio desumitur in primis ex receptissima praxi, qua in ple-
risque Regnis, ac Provincijs, Principes talem faciunt prohibicio-
nem. Accedit ratio: quia populus potest cedere jure suo; un-
de cum Principibus convenientem suo Fastigio apparatus, atque
honestas pro sua Dignitate recreationes populus concedere te-
neatur, consuetudine hoc jus Principibus concessum esse, dicen-
dum est. Idipsum suadet ex eo: quia quilibet potest alium
prohibere, ne in suo fundo venationem, aucupium, vel piscatio-
nem exerceat; ergo & Princeps pro suo territorio. Antecedens
patet ex *l. Item si fundi. ff. de Usufructu*, ubi dicitur, *Aucupiorum quo-
que & venationum redditum ad fructuarium pertinere*. Et §. *Ferz. Instit.*
de *Rer. divis.* Planè qui alienum fundum ingreditur venandi, aut aucu-
pandi gratiâ, potest à domino, si is prouiderit, prohiberi ne ingreditur.

Solvitur in-
stantia.

15. Nec dicas. Jure Naturæ & Gentium licitum est, animalia
libera capere: atqui Princeps non potest tollere Jus Naturæ;
ergo. Resp. enim, venationem esse Jure Naturæ licitam eatenus
solum, quatenus ipsa non est prohibita Jure Naturæ, sicuti fur-
tum; non autem sic, quasi ejus prohibitio ob rationabiles causas
certis personis facta, sit contra Jus Naturæ. Hinc sic explicatâ
majori, distinguitur minor: Princeps non potest tollere Jus Na-
turæ præceptivum; id est, illud, quo quidpiam Jure Naturæ præ-
cipitur, aut prohibetur, conceditur: non potest tollere Jus Na-
turæ negativum, seu permissivum tantum, & quoad unum vel
alterum objectum determinatum, præsertim accedentibus justis
causis, negatur minor, & consequentia. Quia multa sunt Jure
Naturæ permessa & licita, quæ tamen justis de causis Jure huma-
no postmodum prohibentur; alioquin certè nec esus carniùm
posset pro certis diebus ab Ecclesia interdici, cum sit Jure Naturæ
licitus, id est, non prohibitus hoc jure.

Jus Naturæ
aliud præ-
ceptivum,
aliud per-
missivum.

Qui contra
justam pro-
hibitionem
venatur,
peccat, te-
neturque
damnum
compensa-
re.

16. CONCL. II. Qui stante tali prohibitionem, in loco publi-
co, seu per industriam humanam non concluso venatur, vel in
publicis lacubus seu fluminibus piscatur, aut aucupio volucres
capit, peccat contra justam prohibitionem, atque virtutem Justi-
tiæ, & obligatur ad compensationem damni illati; quamvis ac-
quirat dominium feræ captæ, atque ad istius restitutionem non
teneatur. Ita Sannig. *dist. 6. de Justitia, q. 2. n. 14.* Lessius *loc. cit. n. 43.*
Tannerus *tom. 3. disp. 4. q. 6. n. 355.* & alij. Ratio primæ partis de-
sumitur ex dictis *num. 14.* nam talis non solum agit contra justam
prohibitionem, sicque ratione commissæ inobedienciæ puniri
me-

meretur; sed etiam violat jus venandi, piscandi, in tali loco alteri competens.

17. Num autem in particulari casu isthæc obligatio restituendi, sive compensandi damnum illatum, sit gravis, nec ne, judicandum erit ex qualitate injuriæ, vel læsionis juris venandi, piscandi, &c. Principi, vel Republicæ competentis: item ex gravitate damni illati, utputà si animalia capta sint magni pretij, & multa, adeò ut soboles ferina notabiliter extinguatur; vel si ob frequentiam venationis feræ sint redditæ fugaces &c. de quibus plura citatus Lessius, Tannerus, Lugo *disp. 6. de just. & jure, sect. 7.* & alij, arbitantes, quòd unam alteramve feram capere, non censetur notabiliter damnosum, ita ut attingat culpam mortalem.

Quando censetur gravis obligatio damni compensandi?

18. Altera pars Conclusionis ex eo probatur: quia talis fera sylvestris, vel avis, etiamnum gaudet naturali suâ libertate, ac proinde necdum est sub dominio Principis, aut domini fundi, sed est nullius; ergo transit in dominium primò occupantis, qualis in proposito censetur is, qui capit eam. Ex quo protinus sequitur, quòd is non teneatur restituere feram captam, utpote quæ antè nullius erat, & per capturam facta est sua.

Is tamen acquirit dominium Feræ captæ.

19. Si dicas, hanc Conclusionem sibiipsi contradicere, dum nunc admittit, feram sylvestrem transire in dominium capientis, veluti primò occupantis; & tamen in priori parte asserit, talem peccare contra virtutem Justitiæ, ac teneri ad restitutionem. Resp. negando illatum: nam quantum ad propositum, ac stante præfatâ prohibitione venandi, piscandi &c. duplex jus considerari potest. Primò quidem, ipsum jus venandi, piscandi &c. in tali loco: & hoc, stante ejusmodi justâ prohibitione, competit Principi, vel Domino territoriali, læditurque per venationem, vel piscationem ipsò invito ab altero factam. Secundò, jus in ipsam feram: & hoc non competit Principi, vel Domino territoriali, sicque per capturam feræ sylvestris, seu gaudentis suâ naturali libertate, non læditur. Unde fit, quòd ratione prioris juris læsi teneatur is, qui venatur vel piscatur in loco publico prohibito, ad competentem restitutionem, seu recompensationem damni illati: ratione alterius verò, utpote reverà in feram non habiti, ad nihil teneatur.

Solvitur inæstantia. Duplex jus in proposito considerari potest.

20. Dicitur notanter in Conclusionem, *in loco publico, seu non concluso.* Nam præsens Conclusio solùm intelligenda est de ijs animalibus, quæ necdum sunt mansuefacta, neque capta, atque in

quid de animalibus domesticis,

vel in certo
loco con-
clusis?

in certo loco inclusa. Secus enim dicendum foret de animalibus naturam mansuetis & domesticis, uti sunt gallinæ, anates domesticæ, oves, boves, porci, & huiusmodi; quæ proinde, si potestatem dominorum longius aberrando evaserint, capere non licet, vel si ab aliquo capiuntur, sunt dominis restituenda: alioquin furtum committeretur, §. Gallinarum, Instit. de Rerum divis. Similiter licitum non est capere feras naturam sylvestres, sed certo in loco iam conclusas, v. g. in hortis, vel in nemoribus muro circumdatis, aut pisces ex piscinis &c. Talia enim animalia iam non amplius gaudent suam naturali libertate, sed cum per industriam humanam contineantur sub tali certa custodia, existunt sub dominio eius, qui est dominus illius horti, nemoris, piscinæ &c.

An fera la-
queo intri-
cata sit exi-
mentis, vel
laqueum
ponentis?

21. Quæres, cui competat dominium feræ laqueo intricatæ, aut piscis nassâ conclusi, si eximatur ab alio, quam ponente laqueum, vel nassam? Resp. hic variare Doctores: nam aliqui dominium adjudicant ejusmodi feras eximenti, arg. l. In laqueo, ff. De acquir. rerum dominio, ubi Summarium sic habet: *Quod in laqueum meum incidit, non est meum, nisi manualiter capiatur*; nonnulli autem videntur tenere oppositum. Verum rectius distinguitur cum Sannig. cit. dist. 6. q. 2. n. 1. & 2. Tannero loc. cit. n. 356, & alijs: quia vel fera, aut piscis, inextricabiliter concludebatur laqueo, live nassâ; vel ita duntaxat, ut diu luctando sese adhuc expediret. Si primum, fit tendentis laqueum, vel ponentis nassam: quia nihil interest, an manu, vel instrumento quis feram apprehendat. Si secundum, fit eximentis illam feram, utpote quæ adhuc, antequam eximeretur, & censebatur habere naturalem libertatem. Et hoc totum videtur velle textus cit. l. In laqueo, si benè perpendatur.

QUÆSTIO III.

De alijs modis acquirendi rerum Dominium jure Gentium.

Inter mo-
dos acqui-
rendi rerum
dominium
est Nativi-
tas.

22. Secundus modus acquirendi rerum dominium jure Gentium, est *Nativitas*; per quam nostra fiunt, quæ ex animalibus nostro dominio subjectis nascuntur; uti habetur §. Item ea, Instit. de Rerum divisione. Unde cui competit dominium, vel saltem usufructus pecudum, utputa ovium, equorum, vac-

carum, & huiusmodi, etiam agnorum, hinnulorum, & vitulorum ex ipsis natorum dominium acquirit.

23. Tercius modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Alluvio*. Porro *Alluvio* est incrementum latens, quo flumen tuo fundo paulatim aliquid adjicit, & adeò latenter, ut vix notari queat, quantum quovis momento accedit. Et quod per huiusmodi Alluvionem agro tuo flumen adjicit, Jure Gentium tibi acquiritur. Quòd si verò vis fluminis non latenter, sed apertè partem de prædio tuo detraxerit, & vicini prædio appulerit, palàm est, eam tuam permanere; prout clarissimè habetur §. *Præterea*. *Instit. eod.*

Alluvio, & quando?

24. Quartus modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Specificatio*: per quam intelligitur formatio, seu introductio formæ, vel quasi formæ in alienam materiam, vel partim alienam, partim propriam. Sic qui bonâ fide, & nomine proprio, ex sua & aliena lanâ vestimentum confecit, hac ratione ejus dominus efficitur, quamvis domino lanæ alienæ sit restituendus valor ipsius lanæ. Verùm hic modus acquirendi rerum dominium nonnullas habet limitationes, de quibus agitur §. *Cùm ex aliena*. *Instit. de Rerum divisione.*

Specificatio

25. Quintus modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Accessio*; cùm videlicet quid ornatùs causâ alteri rei accedit, seu adjicitur: tunc enim, licèt hoc pretiosius sit, quàm id cui adjicitur, Accessionis jure acquiritur domino rei illius, cui adjectio facta est. Sic si vesti tuæ intexatur purpura aliena, purpura vesti cedit, prout dicitur *loc. cit. §. Si ramentum*. Addunt autem circa hoc Doctores limitationem, nisi purpura facilè, atque sine læsione vestimenti possèt eximi: tunc enim purpura illa essèt separanda, suoque domino in specie petenti reddenda; alioquin autem sufficit pretium ejus reddere.

Accessio;

26. Sextus modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Confusio*. Cui accedit Septimus, qui est *Commixtio*: & hæc differt à Confusione penes hoc, quòd in Commixtione corpora separata inter se quoad substantiam remaneant, prout fit in commixtione duorum frumentorum inter se; in Confusione verò corpora in unum coëant, prout fit in permixtione mei & tui vini per errorem, aut industriam, in eodem dolio factâ.

Confusio, & Commixtio & quomodo differant?

27. Porro de his duobus modis in Jure, §. *Si duorum*. & §. *Quòd si frumentum*. *Instit. de Rerum divis.* sequentes regulæ ponuntur. Prima, loquens de Confusione, talis est. Quando utriusque vo-

Regula pro Confusione materiã.

luntate confunduntur materiae duorum dominorum, veluti si vina sua confuderint, aut ex vino & melle mulsum fecerint, totum corpus inde resultans utriusque commune est: idem dicendum, licet non voluntate amborum dominorum, sed fortuito, illa confusio facta fuerit.

Alia regula
pro com-
mixtione
specierum.

28. Altera regula, loquens de Commixtione, sic habet. Quando species duorum dominorum, utputa frumenta, ex utriusque voluntate commiscantur, efficiuntur communes: quia ex consensu utriusque singula v. g. grana, quae cujusque propria fuerant, mutuo communicantur. Quod si casu ea commixtio facta fuerit, aut unus miscuerit sine alterius consensu, non fit ali- quid commune: quia singula corpora in sua substantia du- rant, ac proinde non magis isto casu fit commune frumentum, quam grex intelligitur esse communis, si pecora unius mixta fuerint pecoribus alterius. Unde tunc arbitrio iudicis aestiman- dum erit, quale cujusque frumentum fuerit; vel (juxta Glos- sam ibidem) ut cuiuslibet tantum frumentum restituatur, quan- tum fuit suum, quando non apparet, quodnam fuerit suum.

Specialis
regula pro
Commix-
tione num-
morum.

29. Speciale quid habetur in pecunia, sive nummis, l. Si alieni. ff. de Solutionibus, ibi: *Si alieni nummi, in scio vel invito domi- no, soluti sunt, manent ejus cujus fuerant* (& sic ante aliam mixtio- nem, postquam discerni nequeant, non fiunt accipientis.) *Sed si mixti alijs sunt, ita ut discerni non possint, ejus fieri qui accepit, in libris Cassij scriptum est, ita ut furti actio domino cum eo, qui dedisset, competeret.* Et hoc est speciale in nummis, ut hi commixti proprijs numis, ita ut amplius discerni nequeant, transeant in dominium accipientis, sive bona, sive mala fide, v. g. a fure. emente a mercatore pannum, dati fuerint: sic tamen, quod domino competat actio furti contra dantem, puta contra furem, qui illam pecuniam abstulit, & mercatori dedit. Quinimo & ipse fur, facta semel commixtione pecuniae furtivae cum propria, acquirit illius dominium, sed dun- taxat imperfectum, hoc est, cum obligatione tantundem resti- tuendi, quantum furto abstulit.

Cur nummi
post Com-
mixtionem
fiant acci-
pientis, non
aliae res?

30. Porro in assignanda disparitate inter commixtos num- mos, & grana frumenti, & quod illi transeant in dominium ac- cipientis post commixtionem, non grana sine mutua utriusque domini voluntate commixta, laborant Doctores. Congruen- tia tamen esse potest: tum quia majus periculum est in nummis, utpote praeter caeteris rebus furto expositis, ac ne eorum dominium semper maneat incertum: tum quia nummi a publica aestimatio-
ne

ne suum habent valorem, atque statim, ut expenduntur & commiscantur, intelliguntur consumpti; non sic grana frumenti alijs permixta.

31. Octavus modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Ædificatio*. De hac §. *Cum in suo. Instit. de Rerum divis. Itaque* primo, quod si quis in suo solo seu fundo domum ex aliena materia bonâ fide ædificaverit, ipse fiat dominus ædificij: quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit. Veruntamen dominus materiæ, quamvis eam stante ædificio vindicare non possit, potest tamen petere satisfactionem pro materia; & si aliquâ de causâ dirutum sit ædificium, atque ipse materiæ æstimationem necdum accepit, potest hanc vindicare in specie. Deinde decernitur ibidem, quod si quis vicissim alieno solo scienter ex sua materia domum ædificat, non solum tunc ædificium solo cedat, atque illius fiat dominus, cujus est solum; sed insuper ædificans amittat proprietatem materiæ, ita ut diruto ædificio eam vindicare non possit: quia sic temerè ædificando, suâ voluntate materia illa censetur esse alienata; videtur enim donâsse, quod nullo jure urgente concedit. Verum hoc iterum habet suas limitaciones, de quibus Jurisconsulti.

Ædificatio, quomodo sit modus acquirendi rerum dominium?

32. Nonus modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Plantatio*: de qua §. *Si Titius. Instit. eod.* habetur, quod si quis alienam plantam in suo solo posuerit, ipsius erit; & e converso, si quis suam plantam in alieno solo posuerit, v. g. in solo Titij, erit alterius, nempe Titij; dummodò radices egerit (nam antequàm planta radices egit, ipsius permanet, cujus fuerat antea.) Quia sicut ædificia, ita multò magis plantæ & arbores solo cedunt; utpote cum à terra sustententur, capiântque inde alimentum, vitam & incrementum suum; atque hinc Jure Gentium fiunt illius, cujus est solum. Æstimationem tamen plantæ, atque impensi laboris mercedem repetere potest, qui in alieno solo plantas posuit, vel frumenta conseruit, dummodò id bonâ fide factum sit; prout ibidem §. *seq.* subjungitur, atque in simili dictum est *num. præc.* de ædificante in alieno fundo.

Item Plantatio.

33. Decimus modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est *Fructuum perceptio*. Porro de hoc modo sic habetur §. *Si quis à non domino. Instit. de Rerum divis. Si quis à non domino, quem dominum esse credebat, bonâ fide fundum emerit, vel ex donatione, aliâve qualibet justa causa æquè bonâ fide acceperit, naturali ratione placuit, fructus, quos percepit, ejus esse pro cultura & cura. Et ideò si postea domi-*

Fructuum perceptio.

nus supervenerit, & fundum vendicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest. Ei verò, qui alienum fundum sciens possederit, non idem concessura est: itaque cum fundo etiam fructus, qui consumpti sunt, cogitur restituere. Hæc ibi. Ex quibus patet, quòd bonæ fidei possessor Jure Gentium fructus faciat suos, nec eos consumptos teneatur restituere vero domino, si is postmodum comparuerit, & fundum evicerit: etsi secus sit de malæ fidei possessore, nam is etiam fructus perceptos cogitur restituere.

Et Traditio.

34. Ultimus tandem modus acquirendi rerum dominium Jure Gentium, est Traditio; de qua §. Per traditionem. Infit. eod. dicitur sic: Per traditionem quoque jure naturali res nobis acquiruntur; nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quàm voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi; & idèò cujuscumque generis sit corporalis res, tradi potest, & à domino tradita alienatur. Hæc ibi.

Solvitur instantia.

35. Nec obstat, quòd Traditio fiat privatâ voluntate hominum, rem suam in alios transferentium; ac proinde malè videri possit, quòd Traditio connumeretur inter modos acquirendi rerum dominium Jure Gentium. Resp. enim negando sequelam: quia, quamvis Traditio fiat privatâ voluntate hominis, rem suam alteri tradentis, huic tamen Traditioni Jure Gentium, atque naturali, convenit potestas transferendi rerum dominium in alios. Sicut à pari, quamvis Occupatio rei sub nullius dominio existentis fiat industria humanâ, atque voluntate privatâ cujuspiam rem illam suo labore occupare satagentis: jus tamen, seu potestas transferendi rerum dominium in primò occupantem, convenit Occupationi ex Jure Naturæ, atque Gentium, & non solùm ex constitutione quadam humana (prout id convenit Præemptioni, juxta dicenda Distinct. sequenti) atque idèò sicut Occupatio, ita & Traditio, meritò connumeratur inter modos acquirendi rerum dominium Jure Gentium.



DISTINCTIO VI.

De Præscriptione & Usucapione.

QUÆSTIO I.

Cur lex Præscriptionis seu Usucapionis sit introducta, & an valeat in Foro Conscientiæ?

1. **P**ræscriptio sumitur in proposito pro acquisitione dominiij, Præscriptio, &que elisione juris alterius, absque ejus consensu, ex sola quomodo legis dispositione tempore legibus definito. Et de Præsumatur? scriptione hoc modo sumpta merito impræsentiarum agitur, ut intellectis hætenus diversis modis acquirendi rerum dominium Jure Gentium, etiam percipiatur modus acquirendi rerum dominium Jure Civili, & Canonico.

2. **CONCL. I.** Præscriptio est acquisitio dominiij rei alienæ, Præscriptio, &Usucapio, per possessionem ejus certo temporis spatio legibus definito bona fide continuatam. Ita in re com̄unis; & concordat hæc definitio cum illa, quæ L. 3. ff. de Usucap. habetur, ibi: *Usucapio est acquisitio, vel adjectio dominiij, per continuationem possessionis temporis lege definiti.* Ubi tamen per ly, *acquisitio dominiij*, etiam subintelligitur elisio juris alterius, utpote per quam similiter acquiritur jus aliquod, quod antea alteri competebat: cæteræ autem particule parebunt ex decursu. quid?

3. Porrò licet inter Præscriptionem & Usucapionem nonnullas Doctores differentias assignare conentur, defacto tamen ex recepto modo loquendi plerumque inter se confunduntur: nisi quod Usucapio proprie tantum rebus corporalibus conveniat, ac verò Præscriptio generaliore habet significationem, & rebus tam corporalibus, quam incorporalibus competat. Verum quidem est, quod Præscriptio triennis (qualis datur inter res mobiles) frequentiori usu in Jure dicatur Usucapio; ex quo proinde nonnulli cum Glossa L. 3. ff. de Usucap. deducunt aliam differentiam inter Usucapionem & Præscriptionem, quod nimirum illa proprie sit rerum mobilium, hæc immobilium: An different?

lium : quam differentiam etiam Doctor Subtilis 4. dist. 15. q. 2. §. de secundo, supponere videtur, ibi: *Ex hoc dico, quod præscriptio in immobilibus, & usucapio in mobilibus &c.* Sed hæc differentia non semper attenditur: nam in Jure Usucapio quandoque etiam ad res immobiles refertur, & e contra Præscriptio ad res mobiles; prout fit §. 1. Instir. de Usucap. & alibi: unde parum, & ferme nihil ab invicem differunt; ratione cujus Doctores eodem modo de utrisque discurrunt.

Jus Præscriptio-
nis, quo
Jure fit in-
ductum:

4. CONCL. II. Jus Præscriptionis seu Usucapionis introductum est Jure humano positivo, tum Civili, tum Ecclesiastico, ob publicam utilitatem & quietem, ne incerta essent semper rerum dominia, & infinitæ orientur lites circa earum proprietatem. Ita habetur l. 1. ff. de Usucap. estque communis. Ratio est: quia non illicò sequitur, *rem istam emi, vel alter mihi donavit, legavit &c. ergo est mea.* Nam si ille, qui mihi eam tradidit, dominus non fuit, neque me dominum facere potuit, juxta reg. 79. Juris in 6. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.* Proinde, nisi Lex ob diuturnam possessionem bonâ fide habitam, & justo titulo comparatam, illius rei dominium expressè mihi attribueret, nunquam de hoc securus forem: nam semper timere possem, ne quis superveniat, illius rei, tanquam ante plurimos annos sibi vel suis parentibus injustè ablata, dominium sibi vendicans.

Habet locum
etiam in
Foro con-
scientiæ.

5. CONCL. III. Translatio dominij facta auctoritate Legis per Præscriptionem, atque Usucapionem justa est; simulque per eam transfertur rerum dominium nedum in Foro externo, sed etiam in Foro conscientie: adeò quidem, ut si Præscriptio cujusdam rei legitime sit completa, postmodum talis non amplius teneatur ad restitutionem rei jam præscriptæ, etiam si postea certò cognoscat, rem fuisse alienam. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia justè potest transferri rerum dominium per Legem communem justam, & legitime promulgatam; ergo idem dicendum de lege Præscriptionis.

Id amplius
ostenditur.

6. Confirmatur. Quia lex Præscriptionis ex una parte est plurimum utilis ac proficua Reipublicæ, & quieti communi, imò etiam necessaria ad rescindendas infinitas lites; ex altera verò parte per eam nemini inferitur injuria: nam sicut hodie à Sempiterno præscribitur contra Titium, huicque rem suam certo temporis spatio repetere negligenti, ejusdem dominium vi Præscri-

scriptionis adimitur; Ita vi ejusdem Præscriptionis potest Titius alio tempore quidquam præscribere contra Sempronium, vel quemcunque alium, qui negligit rem suam debito tempore repetere. Adde, quod talis sibi, ac propriæ negligentia, quam Jura ob bonum publicum merito castigant, culpam imputare debeat, si tanto tempore negligat rem suam repetere, quantum Jura requirunt ad Præscriptionem.

7. Dices. Juxta illud lumine naturæ notum, *Nemo debet locupletari cum alterius jactura*: sed hoc fit in Præscriptione, ergo. Resp. majorem esse intelligendam de injusta locupletatione: qualis esset, si quis in emptione, aliisve contractibus proximum circumveniret, atque deciperet, sicque cum ejus jactura locupletaretur injustè. Non autem dictum illud est intelligendum de justa locupletatione; qualis est ea, quæ fit in bello iusto, & in legitima Præscriptione per auctoritatem Legis, ex publica & iusta causa transferentis dominium unius in alium, atque in similibus alijs casibus.

Nemo debet locupletari cum alterius jactura, quomodo?

QUÆSTIO II.

Quæ conditiones requirantur ad Præscriptionem?

8. **C**ONCL. I. Ad Præscriptionem legitimam quatuor requiruntur conditiones. I. Possessio rei legitimo tempore à Jure definito continuata. II. Bona fides. III. Justus titulus. IV. Ut res illa sit apta præscribi. Ita in re communis: & quamvis nonnulli enumerent quinque, tamen ipsi primam conditionem hic assignatam dividunt in duas, easque omnes sequentibus versiculis comprehendunt:

Ad Præscriptionem quæ conditiones requirantur?

*Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque.
Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque iustus.
Possideas justè, completo tempora legis.*

9. Prima itaque conditio ad Præscriptionem necessaria, est *Possessio legitimo tempore à Jure definito continuata*. Siquidem, ut habet Reg. 3. Juris in 6. *Sine possessione præscriptio non procedit*: quia Præscriptio fundatur super possessione; ubi autem fundamentum non est, superædificari non potest. Porro hujusmodi possessio debet

Ad eam requiritur Possessio

debet tempore à jure definito continuari; de quo tempore, & quantum illud sit, dicitur *Quest. seq.*

Bona fides.

10. Secunda conditio ad Præscriptionem requisita, est *Bona fides*. Nam, ut inquit Reg. 2. Juris in 6. *Possessor male fidei ullo tempore non præscribit*, & alibi. Porro *Bona fides* in proposito aliud non est, quàm conscientia seu credulitas, qua quis prudenter sibi persuadet, rem esse suam. Dicitur, *prudenter*: quia si ex ignorantia crassa, vel inordinata cupiditate, illa persuasio procedat, non erit fides bona.

Et an cum dubio possit Præscriptio inchoari?

11. **Quæres**, an dubitans, utrum res sit sua vel aliena, censetur habere bonam fidem sufficientem ad Præscriptionem, ac proinde stante tali dubio possit præscribere? Resp. I. Si dubium adfuit ab initio, non potest ita dubitans inchoare Præscriptionem, quamdiu manet illa dubitatio. Ita communis. Ratio est: quia dubitans, an res sit sua vel alterius, injustè agit sibi eam arrogando; cum non sit melior sua conditio, quàm alterius, qui eam prius possederat, sed econtrà; ergo jam non censetur habere bonam fidem.

Vel continuari?

12. Resp. II. Quando dubium supervenit ei, qui bonâ fide: cœpit possidere, non obitat illud Præscriptioni continuandæ, neque interrumpit possessionem, dummodò interim possessor moralem diligentiam adhibeat in investiganda veritate rei. Ita communior, & probabilior Doctorum, paucis exceptis. Ratio est: quia in dubio melior est conditio possidentis, juxta Reg. 65. Juris in 6. ergo si is, qui incipit dubitare, jam prius bonâ fide possederit rem, melior est ejus conditio, quàm alterius non possidentis. Unde patet disparitas inter hunc, & priorem casum: simulque sequitur, quòd quidem stante tali dubio non possit quis inchoare possessionem rei (cum non sit melior sua conditio, quàm alterius) benè tamen possessionem prius jam bonâ fide cœptam continuare, non obitante dubio postmodum superveniente; dummodò non intermittat adhibere moralem diligentiam in investiganda veritate rei.

Iustus Titulus.

13. Tertia conditio ad Præscriptionem requisita, est *iustus Titulus*: non quidem verus, atque à parte rei subsistens (nam hic unâ cum traditione, atque possessione, rei dominium transfert, ut amplius Præscriptione opus non sit) sed saltem rationaliter præsumptus, sive putativus Titulus, qui iusto errore putatur intervenisse, quamvis reverà non intervenerit.

14. For-

14. Porro Tituli nomine in proposito intelligitur, causa ex se habilis ad transferendum dominium, vel usucapiendi conditionem præbens: uti sunt donatio, emptio, transactio, hæreditas, legatum, & hujusmodi. Siquidem per tales modos, si tradens fuit dominus rei alteri traditæ, transfertur dominium rei in ipsum: si verò non erat dominus, idque à recipiente ignoretur, saltem usucapiendi seu præscribendi conditionem præstat. Unde si talis postmodum bonâ fide possessionem dictæ rei legitimo tempore continuet, sicque præscriptionem illius compleat, non tenebitur amplius eam restituere vero domino, etiam si postea error deprehendatur, ac manifestum fiat, rem illam à principio fuisse alterius, neque potuisse sibi ab eo, à quo acceperat, tradi titulo donationis, vel emptionis, &c. (a)

Tituli nomine quid intelligatur?

(a) Ut dictum n. 5. & seqq.

Titulus, quando requiratur ad Præscriptionem?

15. Notandum verò circa hanc tertiam conditionem, quòd Titulus non necessariò requiratur in omni præscriptione (contrarium enim patebit ex dicendis num. 21. & 22.) sed tunc præcipuè, quando Jus commune contrarium est præscribenti, vel habetur præsumptio contra ipsum, prout notatur cap. 1. de Præscript. in 6. Si enim tunc non possit allegari Titulus, censetur quis rem possidere malâ fide; nisi allegetur præscriptio temporis immemorialis, quæ est instar Tituli, imò quo non potest allegari melior Titulus de toto mundo, ut loquitur Fagnanus cap. Cum apostolica. num. 6. De his quæ fiunt à Prælatiis. Insuper requiritur Titulus ad hoc, ut præscriptio compleatur, seu absolvatur tempore breviori, atque ordinario, de quo amplius cit. num. 21. & 22.

Et quòd res sit apta Præscribi.

16. Quarta, & ultima conditio ad Præscriptionem requisita, est, ut Res sit apta præscribi: id est, ut sit talis, in qua per legem, aut specialem rationem non prohibetur fieri Præscriptio, utpote quæ Jure humano duntaxat est introducta, ne rerum dominia diutius essent in incerto.

17. Ubi tamen notandum cum Lessio lib. 2. cap. 6. dubitat. 1. quòd quædam in Jure dicantur non posse præscribi, seu usucapi, quia ordinario tempore non usucapiuntur; quædam verò, quia nullo modo præscribi possunt.

Dupliciter dicuntur res non posse præscribi.

18. Prioris generis sunt res furtivæ, ac res vi possessæ, de quibus §. Furtiva. Instit. de Usucap. dicitur: Furtivæ res, & quæ vi possessæ sunt, non possunt usucapi. Nam quamvis hæc ab ipso fure, vel

Vel quia ordinario tempore non usucapiuntur, rapto-



raptore, nunquam possint præscribi, defectu bonæ fidei; simulque etiam à tertio aliquo, qui eas bonâ fide à fure accepit, non præscribantur tempore ordinario, eò quòd res furtivæ sint vitiosæ: nihilominus ipsæ ab illo tertio bonæ fidei possessore præscribuntur tempore longissimo, seu post triginta annos, prout Doctores communiter tenent, & probant ex *l. Sicut in rem, C. de Præscript. 30. vel 40. annorum.* Similiter §. *Res fisci. Institut. de Usucap.* habetur, quòd *res fisci usucapi non potest*, & tamen bona fisco jam incorporata præscribuntur annis quadraginta, *l. Omnes, C. de Præscript. 30. vel 40. annorum.*

Vel quia
nullo modo
præscribi
possunt.

19. Posterioris generis, quæ scilicet ex eo in Jure dicuntur non posse præscribi, quia nullo modo nulloque tempore præscribi possunt, sunt imprimis res publicæ, id est, publicis usibus deputatæ; ut forum, pons, portus, via publica, & alia hujusmodi. Deinde homo liber nullo tempore præscribi potest. Insuper Laici non possunt præscribere Jura Spiritualia, v. g. Jus decimarum, Jus conferendi Beneficia Ecclesiastica, & hujusmodi: cum talia nec possidere possint, *v. Causam, de Præscript.* estque communis Doctorum. Secus est dicendum de Jure patronatûs, nam hujus laici non sunt incapaces.

Q U Æ S T I O III.

Quantum temporis requiratur ad Usucapionem seu Præscriptionem complendam?

Res mobi-
les, & im-
mobiles,
quæ?

20. **A**Dvertendum, quòd quantum ad propositum, sit distinguendum inter res mobiles, & immobiles. *Mobiles* sunt, quæ loco moveri possunt: ut pecunia, vestis, navis, animalia, &c. *Immobiles* verò, quæ loco moveri non possunt: ut prædia, domus, agri, & hujusmodi. Porro nomine immobilium, hic etiam comprehenduntur jura, & actiones ad immobilia (notanter dicitur, *actiones ad immobilia*: nam actiones ad mobilia, v. g. actio ad debitum certæ pecuniæ, dicitur res mobilis, sicut ipsa pecunia) atque insuper nomine immobilium intelliguntur Beneficia, census, redditus, jus patronatûs, usufructus, servitutes prædiorum, & similia. Hæc enim omnia fixa manent, & instar immobilium afferunt fructum suum & commoditatem.

21. CONCL.

21. CONCL. I. Res mobiles privatorum cum titulo, & bona fide, præscribuntur triennio: sine titulo autem requiritur spatium triginta annorum. Ita communis. Et quidem prima pars expressè habetur *L. un. C. de Usucapione transformanda. & §. 1. Instit. de Usucap.* ubi præmissâ mentione de titulo, & bonâ fide, subjungitur: *Cautum est, ut res quidem mobiles per triennium usucapiantur.* Verùm hinc excipiendæ sunt res furtivæ, & vi possessæ. (a) Altera pars, quæ itidem est communis, desumitur ex *l. Si cit. in rem. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* Et disparitas est: quia spectatâ naturali æquitate, ipsâque legum dispositione, minus tempus requiritur, & sufficit, ad præscribendam rem cum titulo, quàm sine titulo; non obitante, quòd utrobique requiratur bona fides, sine qua nulla prorsus præscriptio locum habet.

Res mobiles privatorum, quo tempore præscribuntur?

(a) Juxta dicta n. 18.

22. CONCL. II. Ad præscribenda bonâ immobilia privatorum cum titulo, requiritur spatium decem annorum inter præsentem & viginti annorum inter absentes: sine titulo autem utrobique requiritur tempus triginta annorum. Ita rursum communis Doctorum. Et quidem prior pars habetur expressè *cit. §. 1. Instit. de Usucap. cum concordantijs.* Altera verò desumitur ex *cit. l. Sicut in rem. C. de Præscript. 30. vel 40. annorum.*

Et quo bonâ immobiliâ privatorum?

23. Cæterùm Præsentem in proposito dicuntur illi, qui in eadem Provincia commorantur: Absentes, qui in diversis Provincijs habitant, sive deinde res in eadem Provincia sita sit, sive alibi. Quinimò Lugo *disp. 7. de just. & jure. n. 67.* post alios notat, illud, quod dictum est de diversis Provincijs, defactò habere locum in diversis Territorijs habentibus proprium suum Gubernatorem, qui soli Principi, vel Senatui subest. Juxta quam proinde sententiam illi dicuntur esse præsentem, qui in eodem Territorio habitant: absentes verò, qui in diversis Territorijs commorantur.

Præsentem, aut Absentes, qui dicuntur?

24. Addunt Juris-Consulti juxta *Authent. Quòd si quis. C. de Præscript. longi temporis*: quòd si quis partim absens sit, partim præsens, tempus absentis duplicari debeat, ita ut supra decennium tot anni adjiciantur, quot annis ex decennio fuit absens. Unde si quis per octo annos præsens fuerit, deinde per duos absens, hi duo absentis anni erunt duplicandi, & adhuc duo addendi; atque ita hæc præscriptio ante duodecim annos non complebitur.

Quid de partim præsentem, partim absentem?



Bona im-
mobilia
contra Ec-
clesiam &c.
quo tempo-
re præscri-
bantur?

25. CONCL. III. Ad præscribenda bona immobilia con-
tra Ecclesiam, Monasterium, vel Hospitale, aut contra alias pias
causas, requiruntur quadraginta anni: exceptâ tamen Ecclesiâ
Romanâ, contra quam ac ejus jura currit sola centenaria præ-
scriptio; exceptis etiam nonnullis Monasterijs, ac Ordinibus Re-
ligiosis, qui speciali privilegio sunt muniti, ita ut majori, quàm
quadraginta annorum, præscriptione gaudeant. Ita rursus
certa, & communis Doctorum; & clarè conitat tum ex *Auth.*
Quas actiones. C. de Sacrosanctis Ecclesijs; tum ex *cap. De quarta. & c.*
Ad aures. & c. Ad audientiam. de Præscripti. & alibi sæpè. Nec mi-
randum, quòd in allatis hæctenus Conclusionibus præcipuè ad-
ducantur autoritates Juris, non autem rationes: siquidem
Præscriptio fundatur in solo Jure humano, tum Civili, tum Cæno-
nico, ut jam supra (c) dictum.

(c) *Quæst.*

1. n. 4.

Specialia
quoad hoc
privilegia
quorundam
Monaste-
riorum, &
Ordinum.

26. Porro quod additum est in Conclusionem de nonnullis
Monasterijs, ac Ordinibus Religiosis, est notandum cum *Leslio*
lib. 2. cap. 6. dubitat. 7. Engel, Molina, & alijs, quòd Monasteria
quædam, & Ordines specialiter sint privilegiati, ut majori, quàm
quadraginta annorum præscriptione gaudeant; ita videlicet,
ut minoris temporis præscriptio contra eos non valeat. Sic enim
Eugenius IV. de plenitudine potestatis concessit Ordini S. Bene-
dicti, ut res immobiles non nisi annis sexaginta possint contra
ipsum præscribi: & idem concessit Julius II. Congregationi S.
Salvatoris. Quinimò Ordini Cisterciensium, nec non & Ordini-
bus Mendicantium, primùm in Hispania, & deinde per com-
municationem in Superiori Germania, à diversis Pontificibus
concessam esse centenariam præscriptionem, docet post Arnol-
dum Rath, & alios, Ludovicus Engel in Collegio Juris Canonici,
tit. de Præscriptione. num. 33.

Quo tem-
pore res
mobiles Ec-
clesiarum,
vel Mona-
stiorum
præscriban-
tur?

27. Dicitur notanter in Conclusionem, *ad præscribenda bona im-
mobilia contra Ecclesiam, &c.* Nam, utrum res mobiles ad Eccle-
siam, vel Monasteria pertinentes, usucapiantur triennali posses-
sione, prout *num. 21.* dictum est de rebus mobilibus privatorum,
vel an gaudeant præscriptione quadraginta annorum, variant
Doctores. Et quidem res Ecclesiasticas mobiles triennali pos-
sessione usucapi, affirmant *Leslius loc. cit. n. 22.* Layman, Val-
lensis, Pirhing, aliique plures; idque probant ex *Auth. Quas
actiones. C. de SS. Ecclesijs* Econtrà verò easdem pariter gaude-
re præscriptione quadraginta annorum, æquius esse putant
Ab-

Abbas Panormitanus cap. 1. De in integrum restit. & Hottienfis, eò quòd jus Canonicum, concedens Ecclesijs aliisque pijs locis præscriptionem quadraginta annorum, inter res mobiles & immobiles non distinguat, & proinde nec nos distinguere debeamus. Et hanc posteriorem sententiam, præsertim circa bona Ecclesiastica mobilia pretiosa absque debitis solemnitatibus alienata, recipiendam censet Engel loc. cit. num. 28.

28. CONCL. IV. Præter tempus prædictum requiritur insuper ad Præscriptionem, quòd possessio fuerit continua, & non interrupta. Ita communis. Nam Jura inter alias conditiones ad præscriptionem requirunt, quòd ejusmodi possessio fuerit continua, ut patet ex definitione ipsius num. 2. allata: quando autem ipsa interruptitur, hoc ipso continua non est.

Ad Præscriptionem requiritur etiam possessio continua.

29. Duplex autem est interruptio Præscriptionis, una naturalis, altera civilis, ut notat Glossa communiter recepta in c. Illud. de Præscript. Naturaliter interruptitur Præscriptio, quando aliquid incipit deficere ex his, quæ necessario requiruntur ad præscriptionem: ut si successu temporis superveniat mala fides, seu certa notitia rei alienæ; aut si quis amittat possessionem rei tam naturalem, quam civilem, non obstante, quòd id fiat per injuriam alterius.

Præscriptio interruptitur tum naturaliter,

30. Civiliter interruptitur Præscriptio, quando manentibus naturalibus præscriptionis interpellatur possidens per actum aliquem juridicum, qui ex legum dispositione talem interruptionem inducit; ut puta per contestationem litis, vel etiam per oblationem Libelli, ac citationem Rei, prout desumitur ex L. 2. & 3. c. de Annali exceptione. Sitamen Actor succubuerit in lite, vel litem spontè deseruerit, aut si animo tantum interrumpendi præscriptionem litem moverit (quod ex circumstantiis, juxta prudens arbitrium Judicis, colligendum erit) non interruptitur præscriptio. Glossa c. Placuit. §. potest. 16. q. 3. Pirhing

Tum civiliter.

tit de Præscript. n. 134. Lessius n. 49.

& alij.



Kkk 3

TRA.